



346.

Contra  
Corporis  
Gloria

constat iste alibi  
Comparavit Fr Josephus  
Nierps professor Heister:  
Bavensis.

THE  
PAS  
H  
COMP  
QUE PA  
DINE AD  
XIMU  
JOAN

SS. Theol  
hac Semina  
diffini Pro  
ctum Chil  
P. FRIZ  
Ord. Praemo  
perioris Pro  
co, Theolog

Ea

Tripis March  
Schmid

THEOLOGIÆ  
PASTORALIS.  
EPITOME.

COMPLECTENS EA,  
QUÆ PAROCHUM IN OR-  
DINE AD SE, DEUM, AC PRO-  
XIMUM PERFICIUNT.

*Fr. Josephus auctore Koenig*  
JOANNE GEORGIO  
*P. Vicarius* HERLET, *in terris fatti*

SS. Theologiæ Doctore, ante-  
hac Seminarij Celsissimi ac Reveren-  
dissimi Principis Herbipolensis ad San-  
ctum Chilianum Regente, nunc verò  
P. FRIDERICO HERLET  
Ord. Præmonstratensis Cellæ DEI Su-  
perioris Prope Herbipolim, Canoni-  
co, Theologiæ Moralis Professore, &  
Novitiorum Magi-  
stro, &c.

*Editio Novissima.*

---

Tipis Marchtallensibus per Matthæum  
Schmidt. Anno M. D CCK

Pr Th-1-346

1402 717 01

CELSISS  
VEREND  
AC

P E  
PHI

Episcopo  
Hertogen  
cpi. Dres  
Dona

B

que Gratia  
Eius tam lib

346  
...  
**CELSISSIMO ET RE-**  
**VERENDISSIMO PRINCIPI**  
**AC DOMINO D.**

# P E T R O PHILIPPO

Fpiscopo Bambergensi &  
Herbipolensi. S. R. Imperij Prin-  
cipi, Orientalis Franciae Duci, &c.

Domino meo Clemen-  
tissimo.

**B**Njuriosus forem, Cel-  
fissime ac Reverendissi-  
me Princeps, Domine  
Clementissime, si has la-  
boris mei primitias,  
quæ Gratiarum Tuarum ubertate ha-  
etenus tam liberaliter irrigatae eò usque

maturuerunt , post DEUM & san̄tos  
alteri , quām Celsitudini Tuæ tran-  
scriberem : Quis enim plantat vineam  
& de fructu ejus non edit ? 1. Cor. 9.  
Aut quo Jure laborem suum Alumnus  
alteri vendet , qui illum Altori suo mul-  
tis jam titulis debet ? Absit à Te illa  
DEI de populo suo ingrato querela : Fi-  
lios enutrivi , & exaltavi ipsi autem spre-  
verunt me. Isai. 1. aut, si unquam à Tuâ  
Celsitudine audita fuerit , ego saltem  
in numero illorum , de quibus justè sic  
conqueri possis , non inveniar. Est &  
alia causa , cur hasce pagellas meas Cel-  
situdini Tuæ humillimè dicare volue-  
rim : Tractant eę scilicet de Officio &  
partibus Boni Pastoris , quas Tu non so-  
lùm in temetipso quām exactissimè ad-  
imples , verū etiam ut illæ in utriusq;  
Tuæ Diœcesis Pastoribus expleantur ,  
tanquā verus Episcopus admirabili pla-  
nè Curā & solicitudine invigilat : eò  
enim tendunt tot saluberrima Statuta  
& Sanctiones , quibus Clerum primò quo  
ad externam in Capillaturā & vestibus  
modestiam , deinde etiam quo ad interio-  
rem

rem animæ statum reformati, eliminando (quantum in Te fuit) inordinata Bonorum Ecclesiasticorū dissipacionem, avaritiam, otium, ignorantiam, suspectam cum fæmineo sexu chohabitationem, aliasq; vitæ Clericalis pestes. Eò collimat illa circa Parochos Casuum reservatio; ut, qui amore & timore DEI à peccatis non retraherentur, saltē difficultate impetrandaæ absolutionis absterrerentur. Eò dentq; spectat indefessū Tuū in cognoscendis Parochorū Causis studium & labor, cui Te ad multorū admirationem & stupore ita impendis, ut unicum id negotiū curare videaris. Scilicet non pateris Tibi ab alijs præripi Mercedē illam, quæ in Scripturis à DEO bonorum omnium Remuneratore Bonis & Fidis Gregis sui Pastoribus toties promissa legitur. Quam imarcessibilis gloriae Mercedem, ut Celsitudini Tuæ Princeps Pastorum post Nestoreos hujus vitæ annos concedat, animitùs appreco.

## CELSITUDINIS TUÆ

Humillimus & devotissimus

J. G. Herlet.

## APPROBATIO.

DE benignissima Comissione Cels.  
ac Revni. Principis & Domini  
D. PETRI PHILIPPI Episcopi  
Bambergens. & Herbipolensis, S. R. I.  
Principis, Orientalis Franciae Ducis &c.  
Principis ac Domini nostri Clementissimi,  
ego infrà scriptus accuratè perlegi  
Librum Admodum Reverendi & Exi-  
mij Dn. J. G. Herlet (*N.B. pro nunc  
P. Friderici*) SS. Th. Doctoris, & Epi-  
scopalis Seminarij Herbipolensis vigi-  
lantissimi Regentis, inscriptum *Theo-  
logiae Pastoralis Epitome*: in quo cùm  
doctissimus pariter ac diligentissimus  
Author necessaria functionum Paro-  
chialium capita in perspicuam Epito-  
men, cum ingente Parochorum bono,  
utilissimè redigat, nihilque non S. Ca-  
tholicæ Fidei nostræ ac sanis moribus  
consonum doceat, eum ego evulgatione  
publicâ dignum censeo, & probo in  
Castro Montis Mariani supra Herbipi-  
polim die 27. Octobris. 1682.

I. F. Karg M. P.  
LICEN-

LICENTI  
NOs God  
deia C  
cri & Canonie  
sis, Divina Pe  
riarum Weltp  
diz Vultor  
Licen. concedi  
ut Libellus, cu  
ralis Epitome  
chum in Ordin  
num perficiam  
Professum Eco  
Heret. Theol.  
Herbipolit  
atus, ac Pub  
Insignis & Imp  
lenis Typis, &  
evulgenur. Dan  
nistro Cella  
dis Januarji An  
Demandata  
pliflumi D  
F. S  
T

## LICENTIA SUPERIORIS.

**N**os GODEFRIDUS Hammerich, Ecclesiæ Cellæ D E I Superioris, Sacri & Canonici Ordinis Præmonstraten-sis, Divina Permissione Abbas, & Circa-riarum Westphaliae, Wadegotiæ, & Ivel-diaæ Visitator Generalis, SS. Theologiæ Licen. concedim⁹, facultatē & licentiam ut Libellus, cui Titulus ; *Theologiæ Pasto-ralis Epitome complectens ea, quæ Paro-chum in Ordine ad se, DEUM, ac proxi-mum perficiunt, &c.* Per Sacerdotem & Professum Ecclesiæ nostræ P. FRIDERICU Herlet Theol. Doct. olim conscriptus, & Herbipoli Authoritate Ordinariâ appro-batus, ac Publici Juris factus nunc denuò Insignis & Imperialis Ecclesiæ Marchtal-lensis Typis, servatis de Jure servandis, evulgetur. Datum in præfato Cœnobio nostro Cellæ D E I Superioris Calen-dis Januarij Anno 1699.

De mandato Reverendissimi & Am-plissimi Domini mei Abbatis

F. Sigismundus Hauch,

Theologiæ Doctor,

Secretarius.

70.  
missione Cell.  
is & Domini  
IPPI Episcopi  
lenfis, S. R. L.  
tiaz Ducis &  
ri Clementis.  
curate perlegi  
rendi & Ex-  
NB. pro nunc  
ctoris, & Ep-  
polensis vige-  
riptum The-  
orū in quo cum  
diligentissimus  
tionum Paro-  
chium Epito-  
horum bono,  
que non S. Ca-  
lanis moribus  
go evulgatione  
& probō in  
supra Herbi-  
682.

F. Karg M. P.  
LICEN.

......


## PERMISSIO AU- THORIS.

**U**T Libellus , cui Titulus *Theologie  
Pastoralis Epitome , Complectens  
ea, quæ Parochum in Ordine ad  
se , DELLM , ac proximum perficiunt.*  
Per me infra scriptum , ante plures An-  
nos Authoritate Ordinariâ , Herbipoli  
in Lucem editus , nunc denuò Insignis  
& Imperialis Ecclesiæ Marchtallensis  
evulgetur Typis, servatis de Jure servan-  
dis , permitto. Postridie Calend. Ja-  
nuarij. Anno 1699.

P. FRIDERICUS HERLET  
Canonicus Ecclesiæ  
Cellæ D E I Superioris ,  
S. Ordin. Præmonstra-  
tensis.

TITU-

....  
.....(1.).....



# THEOLOGIÆ PAS- TORALIS PARS PRIMA

*De Origine, Officio &  
Dignitate Parochorum.*

## CAPUT I.

*De Nomine Parochi.*



Arochus dicitur  
à græco παρονη,  
quod prabitio-  
nem significat :  
quia prabere te-  
netur sibi commis illa , quæ  
ad salutem sunt necessaria. Vo-

A ca-

TITU-

2      *Theologia Pastoralis*

---

cabantur olim hoc nomine etiam Episcopi, eorumque Episcopatus dicebantur *Parochiae*. Othlonus lib. 1. cap. 39. in vita S. Bonifacij. Defacto tamen mos obtinuit, ut *Parochus* communiter nominetur solùm ille, qui in certo districtu Diæesis sub Episcopo per curam animarum stabiliter, nomine suo, singulariter & de necessitate sive ex officio exercet. Dicitur etiam alio nomine *Curio* à Curijs sive regionibus, in quibus curam animarum gerit: *Rector Ecclesie*, quia populum fidellem in spiritualibus regit: *Pastor*, quia oves Christi Mysticas verbo, Sacramentis, & bonorum operum exemplo pascit: *Curatus à Cura*, *Sacerdos proprius*,  
  &

& Plebanus  
Barbola par  
& potest. I  
Plebani so  
qui plures i  
Ecclesiæ mi  
cabantur ol  
rati live at  
ut videre li  
num lib. 14.  
gorium M  
Epif. 2. &  
probatur S  
vitam S. Bo  
rochum no  
à suis Paroc  
codem jure  
cole dici poss  
fortè conter  
sive accolatip

& Plebanus à plebe ; quamvis  
Barbosa part. 1. cap. 1. de offic.  
& potest. Paroch. velit, nomen  
Plebani solùm competere illi ,  
qui plures sub se Capellanos &  
Ecclesiastores minores continet. Vo-  
cabantur olim Parochi etiam Pa-  
ræci sive Accolæ à greco παρονη ,  
ut videre licet apud S. Augusti-  
num lib. 14. de Civit. DEI. Gre-  
gorium Mag. lib. 12. Regist.  
Epist. 2. & alios. Verùm id non  
probatur Serario notat. 28. in  
vitam S. Bonifacij , eò quod Paro-  
chum non satis distinguat  
à suis Parochianis , utpote qui  
codem jure quo Parochus Ac-  
colæ dici possunt sive Vicini ; nisi  
fortè contendas nomen Paraci  
sive Accolæ ipsi propter excellen-

tiam tribui posse, quia præcipuus  
est inter Accolas talis loci, alijsq;  
in spiritualibus præfectus.

---

## CAPUT II.

### *De Origine Parochorum.*

**O**RIGO Parochorum non procedit immediate ex Jure Divino, ut Constitutio Episcopum, *quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam DEI. Act. 20.* Sed descendit ex potestate Episcoporum per Jus Divinum constitutâ. Solebant siquidem primitûs Episcopi suas Diœceses regere per Sacerdotes pro nutu & beneplacito à se missos cum assignatione determinati temporis, modi, & limitum suæ administrationis.

Bar-

Barbola, c.  
tom. 3. ad  
traditque  
Poenit. t. 1  
observari h  
cess Hispal  
Successu ve  
geretur pop  
dinavit San  
pa XXIV.  
ca annum  
ad Severum  
clesia à f  
rentur, &c  
tus Sacerdo  
cretum S. D  
nus Can. E  
verbis: Ecc  
Presbyteris &  
Cameterue

Barbosa l. c. n. 17. contra Baron.  
tom. 3. ad annum Christi 325.  
traditque Henriquez lib. 3. de  
Pœnit. c. 58. eum modum adhuc  
observari hodie dum in Diœ-  
cesi Hispalensi & Cordubensi.  
Successu verò temporis cum au-  
geretur populus Christianus, or-  
dinavit Sanctus Dionysius Pa-  
pa XXIV. post. B. Petrum cir-  
ca annum Christi 260. in epist.  
ad Severum Episcopum, ut Ec-  
clesiæ à se invicem distingue-  
rentur, & cuilibet stabilis ac cer-  
tus Sacerdos præficeretur. De-  
cretum S. Dionysij refert Gratia-  
nus Can. Ecclesiast. 13. q. 1. his  
verbis: *Ecclesiæ singulas singulis  
Presbyteris dedimus, Parochias &  
Cœmeteria eis divisimus, unicuique*

jus proprium habere statuimus , ita  
videlicet , ut nullus alterius Paro-  
chiae terminos aut jus invadat ,  
sed unusquisque suis terminis con-  
tentus sit , & taliter Ecclesiam sibi  
commissam custodiat , ut ante tri-  
bunal aeterni Iudicis de omnibus  
sibi commissis rationem reddat , &  
non judicium , sed gloriam pro suis  
actibus percipiat . Hanc quoque  
normam Te & omnes Episcopos se-  
qui convenit , & quod tibi scribi-  
tur , omnibus quibuscumque potue-  
ris notum facias , ut non specia-  
lis , sed generalis fiat ista præceptio .  
Quare quod Parochi jam dicantur  
Ordinarij , & potestatem habere  
ordinariam , ita debet accipi ,  
quod potestas , quæ primò so-  
lùm fuit delegata , postea stabilito

Pa-

Parochorum officio facta sit Ju-  
re Ecclesiastico *Ordinaria*. Nec  
refert , quod Ven. Beda in  
*cap. 10.* Luc. Glossa *Ordinaria*,  
& Leo IV. Papa dicant Paro-  
chos succedere septuaginta duo-  
bus Discipulis à Christo imme-  
diatè ad prædicandum missis :  
solum enim innuere volunt ,  
quod Parochi assumantur in E-  
piscoporum adjutorium & sup-  
plementum , quemadmodum  
Discipuli illi missi fuerant in  
subsidiū Apostolorum.

---

## CAPUT III.

*De Dignitate & Præcellentia Sta-  
tūs Parochialis.*

**C**olligitur hæc Statūs Paro-  
chialis dignitas & præstan-  
A 4 tia

tia ex eo quod potestas absol-  
vendi à peccatis cæteraque Sa-  
cramenta administrandi , quam  
omnes Sacerdotes accipiunt , in  
alijs sit *ligata* , & non nisi in ne-  
cessitate , vel ex privilegio , aut  
speciali commissione ab illis ex-  
erceri possit ; in Parochis verò  
*libera* existat, *absoluta*, & *ordina-  
ria*. Unde Synodus Romana IV.  
sub Symmacho Papa can. 6. Pa-  
rochos immediatè post Episco-  
pos (& Canonicos Cathetrales ,  
utpote qui unum cum Episcopo  
Corpus constituunt ) legitur col-  
locasse dicens : *Parochi post Epi-  
scopos primi sunt , & solis Episco-  
pis cedunt.* Theodulphus etiam  
Episcopus Aureliensis , scribens  
ad Parochos suæ Diœcesis in  
Epist.

*Epist cit. à Baronio ad annum  
Christi 835. eos sic alloquitur:  
Scitote vestrum gradum nostro gra-  
dui secundum, & penè conjunctum  
esse. Nec S. Rituum Congregatio  
dissentire videtur in declaratio-  
ne facta anno 1611. die 15. Ju-  
nij. apud Barbosam part. 1. de  
offic. Paroch. cap. 9. n. 7. quan-  
do ait. Parochum dignorem lo-  
cum obtinere debere & præcedere  
quoscunque alios presbyteros, non  
autem Ecclesiae Cathetralis.*

Et quidem Canonicos Eccle-  
siarum Collegiarum quod at-  
tinget, manifestè illis anteponit  
Parochos Doctissimus Joannes  
Molanus lib. 2. de Canonic.  
cap 14. cum ait: Semper igitur Ca-

nonici honorent Pastores, & se se co-  
ram DEO humiliter inferiores cog-  
noscant ; Etsi prava quedam hujus  
sæculi Judicia aliud acclament : est  
enim Cura dignior Canonicatu.  
Item habet Curatus administratio-  
nem majorem quæ præcedentiam  
inducit : Curæ quoque exercitium  
continet in se magnum periculum,  
cum sit ars artium , & tanto est  
preciosior , quanto periculosior , nec  
omnis Sacerdos est idoneus ad Cu-  
ram animarum &c.

Aliam rationem adfert San-  
ctus Thomas 2. 2. q. 91. art 2.  
ad 3. cum ait : nobilior modus est  
provocandi homines ad devotionem  
per doctrinam & prædicationem ,  
quam per Cantum : & ideo Diaconi  
&

¶ Prælati , quibus competit per prædicationem & doctrinam animos provocare in DEUM , non debent cantibus insistere , ne per hoc à majoribus retrahantur .

De Statu porrò Regulari nemini dubium esse potest , quin longe superetur à Conditione & Statu Parochorum , prout fusè ostendit Barbosa in Sum. Apost. decis. Collect. 557. ex Constitutione Clementis VIII. quæ incipit *Decet : Romanum Pontificem.* Et ratio clarè evincit ; cum facultas prædicandi & Sacra menta administrandi competit Parochis ordinariè principaliter , & ex officio ; Regularibus verò etiam quibuscumque non nisi in solatium

tium & sublevamen concessa sit  
Parochorum : Præstantius au-  
tem & longè sublimius est facere  
aliquid *ex officio & per se*, quam  
solùm ex *commissione, privilegio,*  
*per accidens*, & in sublevamen  
aliorum.

---

## CAPUT IV.

### *De Merito & præmio Statū Parochialis.*

**M**Aginitudo Præmij & Meri-  
torū Statū Parochialis ex  
duplici capite cognosci potest:  
Primò ex Divinâ promissione  
*Daniel. 12. Qui docti fuerint,*  
*fulgebunt quasi splendor firma-*  
*menti, & qui ad Justitiam eru-*  
*diunt*

diunt multos, quasi stellæ in per-  
petuas æternitates, hinc enim pas-  
sim colligunt SS. Patres, singu-  
lare præmium manere eos, qui  
ignorantes in viâ Justitiæ eru-  
diunt. S. Thomas in addit. ad 3. p.  
q. 96. Art. 11. Hieronym⁹, Ansel-  
mus, Rusbrochius, Glossa, &c.

Secundò colligitur magnitu-  
do hujus præmij ex intrinsecâ  
operum Parochialium bonitate  
& præstantiâ: sunt enim omnes  
functiones Parochorum actus  
Religionis, Justitiæ, & Charitatis  
erga DEUM & Proximum, quæ  
sunt virtutes inter Morales &  
Theologicas omnium præstan-  
tissimæ juxta illud Pauli I. Cor. 13.  
*Nunc autem manent Fides, Spes,*  
Cha-

Charitas, tria hæc : major autem horum est Charitas. Quapropter etiam functiones Curatorum à S. Bernardo Serm. 12. in Can. Comparantur operibus & laboribus virorum fortium, dum ait : temerariè objurgat virum de prælio revertentem mulier manens in domo : dico enim , si is qui in claustro est , eum qui versatur in populo , interdum minus districtè minusque circumspectè sese gerere deprehenderit , v. g. in verbo , in cibo , in Somno , in risu , in irâ &c. non ad judicandum confessim prosiliat , sed meminerit scriptum : melior est iniquitas viri , quam benefaciens mulier. Nam tu quidem in tui custodiâ vigilans bene facis , sed qui juvat multos , & melius

liùs facit & viriliùs. Quod si im-  
plere non sufficit absque aliqua ini-  
quitate , id est , absque quadam  
inæqualitate vitæ & conversatio-  
nis suæ , memento , quia Charitas  
operit multitudinem peccato-  
rum. S. Chrysostomus quoque  
*Homil. 25. in 1. Cor.* Præfert cu-  
ram animarum omnibus corpo-  
ris afflictionibus , ut sunt humi-  
cubationes , jejunia , vigiliæ &c.  
Et *Homil. 78. in cap. 24. Matth.*  
Ipsi anteponit Martyrio secun-  
dum propriam speciem actūs. Cui  
etiam subscribit S. Thomas 2. 2.  
*q. 124. Art. 3.* Et quomodo non  
præstantis meriti Parochorum  
conditio , qui eundem planè  
cum Unigenito D E I Filio sco-  
pum & finem habent , ut vide-  
licet

licet quærant ac salvum faciant,  
quod perierat. *Luc. 19.* Funganturque legatione pro Christo  
*2. Cor. 5.* tanquam illius ministri  
& dispensatores mysteriorum.  
*1. Cor. 4.* quos dedit Pastores &  
Doctores ad consummationem San-  
ctorum in opus ministerij, in aedi-  
ficationem Corporis sui? *Ephes. 4.*

---

## CAPUT V.

### *De Officio Parochorum.*

PROponit illud Synodus Tri-  
dentina *Sess. 23.* de reform.  
*Cap. 1.* His verbis: *Cum præcepto*  
*Divino mandatum sit omnibus*,  
*quibus animarum cura commissa*  
*est, oves suas agnoscere, pro his Sa-*  
*cri-*

crifcium offerre : verbique Divini  
prædicatione , Sacramentorum ad-  
ministratione , ac bonorum omni-  
um operum exemplo pascere , pau-  
perum, aliarumq[ue] miserabilium per-  
sonarum curam paternam gerere ,  
& in cetera munia Pastoralia in-  
cumbere , que omnia nequaquam  
ab ijs præstari & impleri possunt ,  
qui qui gregi suo non invigilant  
neque assistunt, sed Mercenariorum  
more deserunt, Sacro sancta Synodus  
eos admonet & hortatur , ut Divi-  
norum præceptorum memores , fa-  
ctique forma gregis in Judicio &  
veritate pascant . Neque enim  
Parochi partes muneris sui ritè  
explent , si propriam tantùm sa-  
lutem , aut ( quod pejus est ) cu-  
tem curare satagant : cum per  
hoc

hoc propriè distinguantur à Regularibus , quod horum institutum sit, per se & ex fine suo quietem amplecti & solitudinem , jejunióque & orationi vacare ; per accidens verò & non nisi in necessitate salutem aliorum curare , quando videlicet ab Episcopis in defectum & sublevamen Parochorum evocari solent : Parochi è contra ex officio & primævâ suâ institutione eorum , quibus præsunt , saluti spirituali invigilare obligentur . Habent siquidem Parochi Ecclesiæ CHRISTI quandam similitudinem cum Pastoribus Synagogæ , quibus DEUS apud Prophetam Ezechiel . Cap . 34 . Propter neglectum officium ita minitatur :

tur : Væ Pastoribus Israël ! qui pascebant semetipos , nonne greges à pastoribus pascuntur ? lac comedebatis , & lanis operiebamini , & quod crassum erat , occidebatis , gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit , non consolidastis ; & quod agrotum non sanastis ; quod confractum est , non alligastis ; & quod abiectum est , non reduxistis , &c.

---

## CAPUT VI.

*De fine & spiritu proprio ac peculiari Statui Parochiali.*

**Q**uemadmodum omnis Statutus à D E O inspiratus proprio suo Spiritu & intentione du-

ducitur , finēmque peculiarem  
sibi propositum habet ; ita Status  
parochialis ex instinctu Spir-  
tūs S. à Dionysio Papā institutus  
singulari quoque Spiritu vivi-  
ficatur, quo quisquis caret, Paro-  
chus verè non est , sed larva Pa-  
rochi & simulachrum animā suā  
destitutum. Consistit autem hic  
proprius Parochorum finis , In-  
tentio, & Spiritus in eo, ut se cum  
Apostolo 2. Cor. 12. totos impen-  
dant & super impendant ad DEI  
Creatoris sui gloriam , animarum  
salutem , & publicam Christianæ  
Reipublicæ utilitatem, sub directi-  
one Episcopi , illique strenuos se se  
Cooperatores in Ecclesiā DEI ex-  
hibeant , non quārentes in aliquo  
quæ sua sunt , sed solum quæ JE-  
SU Christi.

Dixi i.

Dixi 1. *Sub directione Episcopi.* Sunt enim Parochi veluti brachia & manus Episcopi in gubernatione suæ Ecclesiæ , & eundem cum Episcopo finem habent, eodemque Spiritu aguntur : unde sicut brachia & manus non moventur ad quid amplectendum vel dimittendum , nisi ex imperio Capitis, ita Parochi in acceptandis vel dimittendis beneficijs ex nutu Capitis sui , quod est Episcopus, omnimodè dependere , ejusdemque plenariam dispositionem cum verà in indifferentiâ & humilitate expectare , non verò illam per Patrocinia vel precum importunitatem extorquere debent.

Dixi 2.

Dixi 2. *Non querentes in aliquo quæ sua sunt, sed solum quæ JESU Christi.* Ad innuendum, quod illi hoc Spiritu Pastorali non agantur, qui veram indifferentiam ad omnia loca, conditiones, officia, & functiones non habent, sed libentius in Urbibus quam in Pagis Parochias obtinent, pinguësque conditiones tenuioribus, quietas laboriosis, honorificas minus nobilibus præferunt: Satis enim significant, se omnia alia querere quam animas, utpote quæ in Pagis æque pretiosæ existunt, quam in Civitatibus, & celebrioribus locis. Veri Parochi vox est: *da mihi animas; cetera tolle tibi.* Gen. 14. v. 21.

CA-

## CAPUT VII.

*De bono, quod probi Parochi præstant Reipublicæ Christianæ.*

Triplicem commodum provevit Christianæ Reipublicæ ex honestâ & laudabili Parochorum vitâ. Primum est, quod eorum bono exemplo infideles ad fidem convertantur, Hæretici ad gremium Ecclesiæ reducantur, & Catholici in eadem conserventur. Alterum est, quod mali Christiani ad meliorē frugem pertrahantur, & boni in sua Justitiâ roborentur, juxta illud Eccl. 10. Qualis est rector civitatis, tales & inhabitanteres in eâ. Quod enim in Corpore

pore est oculus, hoc in Diœcesi  
est Episcopus, & in qualibet  
particulari Communitate Paro-  
chus: qui oculus si fuerit sim-  
plex & purus, totum illius Com-  
munitatis Corpus lucidum erit:  
sin autem nequam fuerit, totum  
etiam Corpus tenebrosum erit.  
Quod significare voluit invictissi-  
mus Romanorum Imperator  
Carolus V. quando dixit, se ex  
triplici P. cuiuslibet Reipublicæ  
statum non difficulter conjicere  
posse, si videlicet inspiciat, qua-  
lis in ea sit *Parochus, Prætor, &*  
*Præceptor.*

Tertium emolumentum est  
quod boni Parochi felicem flo-  
rentemque reddant Reipublicæ  
Statum

Statum etiam temporalem , uti  
fatetur Justinianus Imperator.  
*Lib. 34. cap. de Episcop.* audient  
his verbis : *Certissimè credimus ,*  
*quia Sacerdotum puritas & decus ,*  
*& ad Dominum D E U M & Sal-*  
*vatorem nostrum J E S U M Chri-*  
*stum fervor , & ab ipsis missæ per-*  
*petuae preces multum favorem no-*  
*stræ Reipublicæ , & incrementum*  
*præbent.* Testatur id quoque  
S. Zacharias Pontifex in Epist.  
ad Gallos & Francos apud Oth-  
lonum. *lib. 2. Cap. 7. Vit. S. Bo-*  
*nif.* quando recensitis Ecclesia-  
sticorum illius temporis vitijs  
ita concludit: *Dum hæc ita sint ,*  
*& tales in vobis fuerint Sacerdo-*  
*tes , quomodo victores contra ve-*  
*stros inimicos esse poteritis ? nax*

B

si mundos & castos ab omni fornicatione, & homicidio liberos habueritis Sacerdotes, ut Sacri praepi-  
piunt Canones, & nostrâ vice præ-  
dicat præfatus Bonifacius frater  
noster, & ei in omnibus obedien-  
tes extiteritis, nulla gens ante  
conspectum vestrum stabit. Quan-  
topere verò econtra nocuerint  
semper Christiano Orbi Pasto-  
res mali, deplorat S. Gregorius  
Homil. 17. in Evang. dicens.  
*Quanto mundus gladio feriatur,  
aspicitis; quibus quotidiè percussio-  
nibus intereat populus, videtis;  
cujus hoc nisi nostro Sacerdotum  
peccato agitur? Ecce depopulatae  
Urbes, eversa Castra, Ecclesiæ ac  
Monasteria destructa, in solitudi-  
nem agri redacti sunt; sed nos*

per-

percunti populo authores mortis  
existimus, qui esse debemus Duces  
ad vitam; ex nostro peccato populi  
turba prostrata est, &c.



## PARS SECUNDA

*De his, quæ Parochum  
perficiunt in ordine ad se  
ipsum.*

### CAPUT I.

De

*Necessitate, quam habet Parochus  
propriam Salutem curandi.*

**R**ecupera proximum secundum  
virtutem tuam, & attende  
tibi, ne incidas. Eccli. 29. Re-  
gula  
B 2

gula ordinatæ Charitatis est , ut homo diligat proximum suum sicut seipsum. *Matth. 22.* Non supra seipsum : non enim ut alijs sit remissio , vobis autem tribulatio , sed ex æqualitate , inquit S. Paulus *2.Cor. 8.* Qui idcirco etiam Timotheum Episcopum hortatur , ut in officio suo primam sui ipsius curam gerat , deinde aliorum , dum ait : *Attende tibi , & doctrinæ , insta in illis ; hoc enim faciens & te ipsum salvum facies , & eos qui te audiunt.* *1. Timoth. 4.* Quod idem inculcat Presbyteris Ephesiniis *Act. 20.* dicens : *attende vobis , & universo gregi , in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos , regere Ecclesiam D E I.* Nec ipse , licet tantus esset Apostolus , hanc salu-

salutis suæ curam neglexit, sicut  
de seipso fatetur 1. Cor. 9. *Castigo*  
*corpus meum, & in servitutem re-*  
*digo; ne fortè cum alijs prædicave-*  
*rim ipse reprobus efficiar.* Habet se  
scilicet hic mundus( qui totus est  
in maligno positus ) velut quod-  
dam Nosodochium hominibus  
pestiferis refertum ; Unde si-  
cuit Medicus talem locum subi-  
turus necesse habet corpus suum  
antidotis & medicaminibus à  
veneno præservantibus solicite  
præmunire, ne contactu vel ha-  
litu infirmorum pariter inficia-  
tur: ita Parochus, qui Spiritua-  
lis animarum est Medicus , &  
non solùm versari debet cum  
hominibus contagiosâ pessimo-  
rum morum lue infectis, sed &

malè fœtentes eorum conscientias perscrutari, necesse omnino habet cautelas & media cum magnâ solicitudine adhibere, animûmque suum spiritualibus antidotis præmunire, ne eâdem vitiosorum hominum lue corripiatur & pereat: *Quid enim prodest homini, si Mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima suâ?* Matth. 16.

---

## CAPUT II.

### *De Timore DEI.*

**P**rincipium Sapientiæ Timor Domini: & Scientia Sanctorum prudentia. Proverb. 9. Primum igitur

igitur, quod Parochum in ordine ad seipsum perficit, & in gratia DEI perseverare facit, est Timor Domini : *Qui enim timet DEUM, faciet bona. Eccl. 15.* Et per Timorem Domini declinat omnis à malo. *Proverb. 15.* Est autem Timor DEI duplex, *Filiialis* scilicet & *Servilis*. Prior non vult offendere DEUM, quia summum bonum est : Posterior, quia Vindex malorum. Per priorem homo justificatur, eò quod sit actus Charitatis. Posterior licet peccatorem non justificet, eum tamen ad justitiam & peccatorum detestationem adducit, ac propterea in S. Scriptura commendatur : *Qui enim sine Timore est, non poterit justificari:*

*Eccli. 1.* Eò quòd velut navis gubernaculo suo destituta , & à ventis temptationum agitata necessariò ad vitiorum scopulos allidi debeat. *Unde* passim legimus Sanctos hoc fræno Timoris DEI usos fuisse ad servandos se immaculatos in suis temptationibus , sicut de Tobia Seniore testatur Scriptura *cap. 2.* *v. 9.* de Juditha nobilissimâ viuda *Cap. 8.* *v. 8.* de Susannâ uxore Joachim. *Daniel. 13.* *v. 23.* De obstetricibus Ægyptijs *Exodi. 1.* *v. 17.* Et de se ac socijs suis , fassus est P. Antonius Araozius : hic enim cum à Rege Lusitano Joanne III. interrogaretur , quodnam herbæ genus usurparent Patres Societatis verfan-

santes in medijs hominum cætibus contra appetitus carnales, respondit, *herba quam socij nostri Castitatis custodienda ergo circumferunt*, Timor Domini est, illa miraculum istud operatur, ut Dæmones à se longè repellat & effuget, sicut olim piscis Tobiae prunis superpositus. Timor Domini juxta Sanctum Gregorium lib. 6. moral. cap. 21. est Anchora cordis, juxta Hieronymum in epist. ad Fabiol. Custos virtutum. Juxta Tertulian lib. de cult. fæm. Fundamentum virtutis, quod uno sublato ruit tota perfectionis & justitiæ structura, attestante Ecclesiastico. Cap. 21. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.

B 5

Et

Et S. Bernardo Serm. 4. ad Sororem: *ubi Timor non est, ibi perditio est animæ: ubi Timor non est, ibi dissolutio vitæ est, ubi Timor non est, ibi est abundantia peccatorum.*

Oritur autem Timor Domini in nobis *Primò*, ex firma & viva fide in DEUM nobis intimè præsentem. *Secundo*, ex consideratione Supremæ & infinitæ Majestatis Divinæ de qua David Psal. 46. *Dominus excelsus terribilis, Rex magnus super omnem terram.* *Tertio*, ex consideratione Divinæ Justitiæ, quæ ipsis etiam angelis peccantibus non percit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit crucian-

ciandos. 2. Petr. 2. de qua etiam loquitur Christus Matth. 10. Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Et Paulus Hebr. 10. Horrendum est incidere in manus DEI viventis.

---

## CAPUT III.

### De Humilitate.

**N**on alta sapientes, sed humilibus consentientes. Rom. 12. Quantoperè Parocho necessaria sit Humilitatis virtus, colligitur ex eo, quod superbis DEUS resistat, humilibus autem det gratiam Jacob. 4. Sine gratia autem DEI Parochus non possit resi-

stere temptationibus in Statu suo tam frequentibus , adeoque periculo se exponat turpissimi lapsus & publicæ confusionis. Consuevit enim D E U S superbos revocare ad sui agnitionem per publicam infamiam , ut notant SS. Patres , dum eos labi sinit in manifestas turpitudines , ut sic confusi cum Psalmista dicant : *Priusquam humiliarer , ego deliquer : bonum mihi quia humiliasti me , ut discam justificationes tuas.* Psal. 118. Videre hoc fuit in Petro Apostolorum Principe , ut in memorato Rege Davide , quorum alter per trinam Magistri sui negationem , alter per turpissimum carnis lapsum ad suæ fragilitatis cognitionem fuit reductus.

ductus. Unde S. Augustinus lib. 14. de Civit. DEI cap. 13. audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displaceant, qui jam sibi placendo ceciderant.

Definitur autem Humilitas à S. Bernardo tract. de 12. grad. Humil. Virtus, qua quis verissimā sui cognitione sibi ipsi vilescit. à S. Thoma Viro. Virtus refrænans immoderatum excellentia appetitum, hominēmque subiiciens DEO propter ipsum, & proximo propter DEUM. Præcipui illius actus numerantut hi duo: Primus est agnitio propriæ vilitatis, fragilitatis & nihili tam naturalis

ralis quam moralis; quod in se agnovit Patriarcha Abraham Genes. 18. cum ait: *loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* Et S. Paulus 2. Cor. 3. dicens: *non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* Alter actus ex primo sequitur, & consistit in hoc, quod quis vilem se ac fragilem ab omnibus haberi velit, nunquam de seipso aut de rebus suis honorifice loquatur, laudes hominum non desideret, nec in eis sibi complaceat, exterius viliora quæque pro conditione Statu sui eligat, in actionibus suis singularitatem vitet, proprij judicij tenacitatem fugiat, defectus suos sibi

sibi intimari libenter audiat , ac  
denique omnia , quæ per ipsum  
bona gesta sunt , DEO soli ad-  
scribat.

---

## CAPUT IV.

### *De Mortificatione.*

**O**bsecro vos fratres per miseri-  
cordiam DEI , ut exhibeatis  
corpora vestra hostiam viventem ,  
sanctam , DEO placentem . Rom . 12.  
Describi potest Mortificatio ,  
quod sit quædam repressio ni-  
miæ vivacitatis hominis inferio-  
ris & appetitus sensitivi . Distin-  
guitur enim duplex in homine  
appetitus , Rationalis scilicet &  
Sensitivus . Prior vocatur homo

Su-

Superior, novus, interior, ratio, Spiritus, &c. Posterior verò dicitur homo inferior, vetus, exterior, animalis, sive sensualitas. Et quidem ante peccatum Primorum Parentum in homine sensualitas perfectè subdebatur rationi, sicuti ratio, obediebat DEO: at posteaquam Status Innocentiæ amissus fuit, sensualitas cœpit esse rebellis Spiritui sive rectæ rationi; propter quod etiam frequens est inter appetitum rationalem & sensitivum pugna atque dissensio: *Caro enim concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus Carnem, sibique invicem adversantur Galat. 5.* dum Ratio tendit solùm in bonum honestum,

stum , caro autem fertur in ob-  
leßamenta sensuum , nullâ ha-  
bitâ ratione honestatis , sed so-  
lùm boni utilis & jucundi. Un-  
de qui carnis desideria sequitur ,  
dicitur *Carnalis* , & secundùm car-  
nem vivere , qui verò carnis ap-  
petitus refrænat & coërcet , *Spi-  
ritualis* est , & Spiritu ambulat , jux-  
ta illud Rom. 8. Debitores sumus ,  
non carni , ut secundùm carnem  
vivamus : Si enim secundùm car-  
nem vixeritis , moriemini , si au-  
tem Spiritu facta carnis mortifica-  
veritis , vivetis. & Galat. 5. Spi-  
ritu ambulate , & desideria carnis  
non perficietis. Qui sunt Christi ,  
carnem suam Crucifixerunt cum  
vitij & concupiscentijs.


Est

Est autem Mortificatio duplex : *Exterior* una , quæ sensus externos moderatur & cohibet , ne in illicita diffluant . Altera *interior* & perfectior , quæ sensus internos & potentias animæ refrænat , ne imaginationes , cogitatus vel affectus illicitos admittant . Solet enim Mortificatio coercere intellectum à curiositate , ut rebus inutilibus non intendat : à judicio temerario , ne in aliorum vitam inquirat à Pertinacia & singularitate , ut à communi sensu non recedat , neque sibi nimium fidat . Voluntatem moderatur Mortificatio , ut se voluntati divinæ & Superiorum promptè subjiciat , ad eorum nutum officia , & quasvis fun-

functiones suscipiat aut deserat, bonum commune suo privato præferat, & seipsum odio Spirituali prosequatur. Memoriam & Phantasiam etiam refrænat mortificatio, ut noxia & inutilia non recolant. Passiones cohibet, ut reæ rationis limites non transgrediantur, nec eam prævolent, sed illius ductum & imperium sequantur.

Porrò necessaria est Mortificatio animarum Pastori ex tripli Capite: *Primo* ad evitandum salutis propriæ discrimen in tot occasionibus peccatorum; propter quam causam S. Paulus quoque eam sibi adhibendam duxit *i. Cor. 9.* cum ait: *Casti-*

go corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Secundo ad partes officij sui ritè & exactè adimplendas: siquidem plurimæ in functionibus Parochialibus occurrunt difficultates & molestiæ, quæ sine Mortificatione & egregiâ sui victoriâ superari nequaquam possunt. Tertio ad declinanda scandalâ & offensiones. quæ ex nimia passionum libertate & indulgentiâ sequi consueverunt.



CA-

## CAPUT V.

### De Tentationibus.

Fili accedens ad sevitutem DEI  
sta in justitia & timore, &  
præpara animam tuam ad tentatio-  
nem. Eccl. 2. Voluit Spiritus  
S. his verbis significare, servum  
DEI nunquam in hac vitâ  
tutum fore à temptationibus.  
Quod etiam declarat S. Hiero-  
nymus exponens illud, Eccl. 3.  
tempus belli & tempus pacis,  
dum ait: *quarundam in præsenti  
sæculo sumus, tempus est belli,*  
*cum autem migraverimus de hoc  
sæculo, pacis tempus adveniet: in  
pace enim factus est locus DEI,* &

Ci-

Civitas nostra Jerusalem de pace sortita vocabulum est: nemo ergo se nunc putet securum in tempore belli, ubi certandum est. Nec refert, quod hostes nostri aliquando oppugnare nos desinant, id enim faciunt, ut nos incautos & falsâ securitate delusos fortius aggrediantur, & imparatos expugnent. Describitur autem Tentatio, quod sit impugnatio quædam, quâ quis ad malum patrandum allicitur, & duplex est, Externa una, quæ consistit solùm in Externa propositione rei vetitæ per consilium, imperium, vel quamcunque factam exterius repræsentationem, & talis fuit illa tentatio Christi in deserto, Matth. 4.

Al-

Altera est *Interna*, quâ Phantasia nostra turbatur, & per species rei prohibitæ objectas percellitur, & pravis imaginationibus ludificatur, motusq; sensualitatis concitantur & talem temptationem Christus sentire non potuit, nos autem quotidie ferè sentimus & experimur, oriturque à causa vel externa, qualis est diabolus, qui propterea *adversarius noster* & *Sathanas sive Tentator* appellatur, & Mundus sive mali homines in Mundo, divitiæ, honores, illecebræ, & quidquid nos ad malum solicitare & à bono avertere solet. Vel oritur à causa interna, puta à concupiscencia nostra & appetitu sensitivo; unusquisque enim tentatur à concupi-

*cupiscentia sua abstractus & ille-*  
*citus. Jacob. 1. Vel a pravis nostris*  
*habitibus, & peccandi con-*  
*suctudine, quæ ad nova pec-*  
*cata nos eò fortius trahit & in-*  
*clinat, quo magis fuerit radi-*  
*cata.*

Media tentationes superandii  
numerantur ab Asceticis Aucto-  
ribus sequentia : Primum est  
generositas animi & alacritas in  
ipsa temptatione, juxta illud Ja-  
cob. 4. *resistite diabolo, & fugiet*  
*a vobis.* Habet siquidem se dæ-  
mon in tentando quasi mulier  
in rixando cum viro suo, quem  
si advertat timidum & fugacem,  
magis animatur, & ferociter vi-  
rum invadit : si verò illum con-  
stanti

stanti & erecto vultu resistere  
conspiciat , illicò animum abji-  
cit , & terga vertit. Ita prorsus  
dæmon ex nostra timiditate eva-  
dit animosior , & fortius instat ;  
**ex alacritate** verò animi & gene-  
rositate terretur & fugit. Suasit  
hoc medium suis Discipulis B.  
Antonius pugil in hac arenâ stre-  
nuus , & multis trophæis à dœ-  
mone relatis clarus , asseverans ,  
inter reliqua arma contra sty-  
gium hostem imprimis eminere,  
quod quis in ipsa tentatione ge-  
nerosum se , alacrem , & hila-  
rem ostendat. Porrò excitat  
hanc in nobis animi alacritatem  
imprimis consideratio imbecil-  
litatis Adversarij nostri, ut potè  
qui non vincit nisi volentem ,

C sicut

sicut testatur S. Hieronymus  
sup. Cap. 4. Matth. cum ait: per-  
suadere potest, præcipitare non  
potest, si ipsi nolimus. Et S. Au-  
gustinus Serm. 197. de temp. Ve-  
rum est, fratres, multum præva-  
let, sed tepidis & negligentibus,  
& DEU M in veritate non timen-  
tibus, alligatus est enim tanquam  
innexus canis catenis, & nemi-  
nem potest mordere, nisi eum qui  
se illi mortiferâ securitate conjun-  
xerit, latrare potest, solicitare  
potest, mordere omnino non potest,  
nisi volentem.

Alterum medium superandi  
tentationes est dissidentia sui  
ipsius, & confidentia in solo  
DEO: vult enim DEUS, ut  
sem-

semper omnem gloriam, honorem & victoriam ipsi soli adscribamus, unde si homo in sua fortitudine & proprijs viribus confidat, meritò sibi & infirmitati suæ relinquitur, ne, quod soli D E O debetur, sibi præsumptuosè arroget. Atque hinc est, quod D E U S SS. in Literis auxilium & assistentiam suam promittat solùm in ipso confidentibus. Ut patet. *Psal. 90. Quoniam in me speravit, liberabo eum.* *Psal. 16. Qui salvos facis sperantes in te.* *Psalm. 17. Protector est omnium sperantium in se &c.*

Tertium Medium oritur ex secundo, & est Oratio sive petitio gratiæ & auxilij Divini : postquam enim homo suis viri-

C 2 bus

bus diffidit, ad DEUM tanquam auxiliatorem suum per Orationem confugere discit, fuitque hoc ordinarium Regio Psalti, ut passim invenire est in ejus Psalmis, & à Christo præscriptum Apostolis Matth. 26. illis verbis: *vigilate & orate, ut non intretis in temptationem*, & Matth. 6. *& ne nos inducas in temptationem.*

*Quartum, Medium & impri-*  
*mis efficax est, obstare statim*  
*ipsis temptationum principijs,*  
*antequam invalescant, & vires*  
*acquirant, juxta illud S. Hiero-*  
*nymi: dum parvus est hostis, in-*  
*terfice, nequitia elidatur in semine,*  
*Facilius quippe est scintillam*  
*extin-*

extinguere quām incendium,  
& hostis cum minore periculo  
rejicitur, dum adhuc extra por-  
tam Civitatis subsistit , quām  
cum per omnes illius plateas se  
jam diffudit. Habent se tenta-  
tiones ab initio instar morbo-  
rum, qui Corpus humanum  
tentare incipiunt, de quibus  
Poëta : *Principijs obsta, serò me-  
dicina paratur, cum mala per lon-  
gas invaluere moras.*

---

## CAPUT VI.

### *De Modestia.*

**M**odestia vestra nota sit om-  
nibus hominibus. Philip. 4.  
Consistit hæc Virtus in mode-

ratione morum externorum , &  
cultūs corporis , sive in decora  
incessus , vocis , risus , vestium ,  
& quorumvis gestuum composi-  
tione , qualem scilicet præscribit  
**Clericis Tridentinum , Sess. 22.**  
de reform. cap. 1. his verbis : *Sic  
decet omnino Clericos in sortem  
Domini vocatos vitam moresque  
suos omnes componere , ut habitu ,  
gestu , incessu , sermone , alijsque  
omnibus rebus nil nisi grave , mo-  
deratum , ac Religione plenum præ-  
seferant , levia etiam delicta , que  
in ipsis maxima essent , effugiant ,  
ut eorum actiones cunctis affe-  
rant venerationem . Necessaria  
autem est Modestia imprimis  
Parocho non solùm propter ædi-  
ficationem eorum , quibus præ-  
est*

est , verūm etiam ad servandum  
se ipsum immaculatum : Sunt  
enim sensus externi ostia quæ-  
dam , per quæ omne malum ad  
cor ingreditur , si non sollicitè cu-  
stodian tur , juxta illud , *Jerem. 9.*  
*Ascendit mors per fenestras.* &  
*Thren. 3. Oculus meus depraedatus*  
est animam meam . Propter quod  
etiam ex dissolutione morum &  
sensuum externorum licentiâ  
indicatur interior animi consti-  
tutio propter naturalem , quām  
externa cum internis habent cō-  
nectionem , sicut testatur Scrip-  
tura , *Eccl. 19. Ex visu cognoscitur*  
*vir , & ab occurso faciei cognosci-*  
*tur sensatus : amictus corporis &*  
*risus dentium , ingressus hominis*  
*enuntiant de illo.* Quia Specu-

lum mentis est facies , & taciti oculi tam modesti quam vagabundi  
mentis fatentur arcana , ut inquit  
S. Hieronymus ad Furiam vi-  
duam : homo enim apostata , vir  
inutilis , graditur ore perverso , an-  
nuit oculis , terit pede , digito lo-  
quitur . Prov . 6 . Confirmat id  
S. Ambrosius lib . 1 . offic . cap . 18 .  
duobus exemplis tragicis , dum  
ait : est in ipso motu , gestu , incessu  
tenenda verecundia , habitus enim  
mentis in corporis Statu cernitur ,  
Hinc homo cordis nostri abscondi-  
tus aut levior , aut jactantior , aut  
turbidior , aut contra gravior &  
constantior & purior , & maturior  
estimatur . Meministis , filij , quen-  
dam amicum , cum sedulis se vide-  
retur commendare officijs , hoc solo  
tamen

tamen in Clerum à me non fuisse  
receptum, quod gestus ejus pluri-  
mum dedecret. Alterum quoque  
cum in Clero reperisse, jussisse  
me, ne unquam præiret mihi, quia  
velut quodam insolentis incessū  
verbere oculos feriret meos, Idque  
dixi, cum redderetur post offen-  
sam muneri, hoc solum excepī.  
Nec sefellit sententia, uterq; enim  
ab Ecclesia recessit. Ut qualis in-  
cessu prodebatur, talis perfidiā  
animi monstraretur, namq; alter  
Arianae infestationis tempore fidem  
deseruit, alter pecuniae studio, ne  
judicium subiret Sacerdotem se no-  
strum negavit. Lucebat in illorum  
incessu imago levitatis species quæ-  
dam scurrarum percurrentium.

C5

Atque

Atque hæc causa fuit , cur idem S. Doctor tres illos aureos libros de officijs ad reformandos in Clero suo mores conscripserit, tamque exactis regulis & præceptis illam externam vultus & totius corporis compositionem inculcaverit , ut de ipso testatur Baronius.

## CAPUT VII.

### *De Castitate.*

**H**Æc est voluntas DEI , sanctificatio vestra , ut abstineatis vos à fornicatione , ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore : non enim vocavit os DEUS in immunitatem , sed in sanctificationem.  
*i. Thessal.*

1. *Thessl.* 4. Scribit Apostolus  
hæc quidem ad omnes Ecclesiæ  
Thessalonicensis fideles, maxi-  
mè verò ad Sacerdotes & Pasto-  
res, qui præcipua Ecclesiæ pars  
sunt, & propriùs ad immaculata  
mysteria accedunt, ideoq[ue] ad  
majorem tum corporis tum ani-  
mæ sanctitatem sunt obstricti.  
Est autem Castitas *Virtus coërcens*  
*& domans venereas cupidita-*  
*tes sive ut S. Augustinus descri-*  
*bit. Virtus sub jugo rationis impe-*  
*tum refrænans libidinis. Medium*  
illius conservandæ primum est  
fuga occasionum illarum, in  
quibus periclitari solet Castitas,  
juxta illud Apostoli 1. Cor. 6. *Fugi-*  
*te fornicationem. Cum enim om-*  
*nibus vitijs prædicaverit resisten-*

C 6 dum,

dum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit, resistite, sed fugite fornicationem, ut advertit S. Augustinus lib. de honest. mulier. cap. 1. Hujusmodi autem occasio est familiaritas & cohabitatio Parochi cum fœminâ maximè juvenculâ & extraneâ, cujus periculum indicat Sanctus Bernardus Serm. 34.. in Can. dicens: *Cum fœmina semper esse, & non cognoscere fœminam, nonne plus est quam mortuos suscitare? quod minus est, non potes, & quod majus est, vis credam tibi? quotidie latus tuum ad latus juvenculae in mensâ, lectus tuus ad lectum ejus in Camera, oculi tui ad illius in colloquio, manus tuae ad manus ipsius in opere, & continens vis puta-*

putari est ut sis , sed ego suspicio-  
ne non careo. Similia his habet  
S. Hieronymus in epist. ad Ne-  
potian. Cyprianus lib. de singu-  
lar. Cleric. Basilius constit. 4.  
& alij.

Atque hæc etiam causa fuit ,  
cur Sacra & Oecumenica Con-  
cilia hanc Clericorum & mulie-  
rum cohabitationem tam severè  
interdixerint , ut videre est in  
Nicæno , Lateranensi Magno  
sub Innocentio III. & novissimè  
in Trident. Sess. 25. de refor-  
matione cap. 14. Quorum vestigijs  
laudabilissimè insistens Celsissi-  
mus ac Reverendissimus Noster  
in suo Decreto nuper 21. Octob.  
Anno 1679. edito districtè præ-  
cepit ,

cepit, ut omnes ac singuli, qui per viros rem familiarem administrare potuerint, eorum opera dun- taxat. ut tantur. At si talis Oecono- miae necessariò gerendæ Status fue- rit, ut mulieres intra domum Cle- ricalem admittenda sint, non quælibet absq; delectu, sed Matres aut Sorores si haberi possint, vel ejus- modi saltem personæ suscipiantur, quas sanctitudo morum & prove- ctior etas extra suspicionem Cri- minis tam fædi constituit, ea insu- per separatione factâ, quæ ipsos etiam Clericos ab omni periculo & occasione scandali liberet. Qualis autem hæc separatio esse possit, statim subdit his verbis: *id quod facillimè fiet, si præter ancillam puer alatur per quem, vel quo præ- sen-*

sente Clericus necessaria jubeat ,  
quique individuus ejusdem , quoties  
cum muliere tractandum erit , co-  
mes & vitæ testis existat .

Secundum tuendæ Castitatis  
medium est custodia sensuum ,  
maximè autem visûs & tactûs .  
Sunt enim sensus nostri via &  
aditus , per quem species obsec-  
næ ingredientes inæstimabilem  
Castitatis thesaurum deprædan-  
tur . Unde Job . Cap . 30 . Pepigi  
fædus cum oculis meis , ut ne cogi-  
tarem quidem de virgine . Et San-  
ctus Basilius Homil . 24 . de Lib .  
gent . testatur de Alexandro  
Magno , quod Darij filias cap-  
tivas admirabili formâ conspi-  
cuas ne quidem videre dignatus  
sit .

fit , ne illarum pulchritudine  
à captivis captivaretur , non ig-  
narus illius , quod canit Poëta :  
*Si nescis , oculi sunt in amore du-  
ces.*

Tertium est fuga crapulæ &  
ebrietatis , juxta illud Apostoli  
*Ephes. 5. Nolite inebriari vino, in  
quo est luxuria. Venter enim mero  
& stuans citò spumat in libidinem.*  
testa S. Hieronymo Epist. ad  
Oceanum. Sententia S. Nili  
Abbatis est orat. 2. de luxuriâ.  
*Qui ventrem cibis explet , & se  
castè victorum profitetur , ei simi-  
lis est , qui dicit, in Stipulâ se flam-  
me impetum fræno cohibiturum :  
quemadmodum enim furor ignis in  
Stipulâ se viens coërceri non potest ,*  
ita

*ita luxuria vis in corpore cibis di-  
stento percurrentes retineri nequit.*

Et hæc quidem media consi-  
stunt in fuga, quæ verò in agen-  
do sita sunt, recensentur ab A-  
scetis sequentia : *Primò*, Humi-  
litas & animi demissio , quæ re-  
movet superbiam , ad cuius ju-  
stam punitionem D E U S sëpe  
hominem in materiâ Castita-  
tis tentari & superari permit-  
tit. *Secundò*, Lectio & Medita-  
tio SS. Scripturarum, & aliorum  
Spiritualium librorum , teste  
S. Hieronymo epist. ad Rusti-  
cum : *Ana Studium Scriptura-  
rum , & carnis vitia non amabis.*  
*Tertio*, Labor & assidua occupa-  
tio , juxta eundem Hierony-  
mum :

mum: Facito aliquid operis, ut te  
semper diabolus inveniat occupa-  
tum. Quartò, Frequens Sacra-  
mentorum, Pœnitentiæ & Eu-  
charistiæ usus, maximè si Con-  
fessio fiat coram eodem semper  
Sacerdote.

---

## CAPUT VIII.

### De Obedientia.

**O**bedite Præpositis vestris, &  
subjacete eis: ipsi enim per-  
vigilant, quasi rationem pro ani-  
mabus vestris reddituri, ut cum  
gaudio hoc faciant, & non gemen-  
tes, hoc enim non expedit vobis.  
Hebr. 13. Tres causas affert hic

Apo-

Apostolus , propter quas subdi-  
ti obedire debent superioribus  
suis : Prima est , quia hi perva-  
gant pro nobis , *quasi rationem*  
*reddituri pro animabus nostris.*  
Quæ certè ratiō maximum af-  
ferre solatium deberet omni-  
bus , sub obedientiā viventibus ,  
eò quòd tuti & secuti sint , se in  
omnibus rectè procedere , quæ  
à superioribus injunguntur :  
Quamvis enim superior errare  
possit hoc illudvè jubendo , sub-  
ditus tamen certus est se neuti-  
quam errare illud exequendo ,  
nisi manifestè malum appareat.  
Unde S. Hieronymus in Regul.  
Monast. cap. 6. Meritò exclam-  
mat : *o summa libertas , quâ ob-*  
*tentâ vix possit homo peccare !*

Qui

Qui enim perfectè obediunt ,  
quasi in navi securè dormientes  
ad portum Cœlestis Patriæ trans-  
portantur , vigilantibus conti-  
nuò & laborantibus pro ipsis su-  
perioribus suis. Altera ratio  
Apostoli est , ut *cum gaudio hoc*  
*faciant, non gementes* : grave si-  
quidem & permolestum est Su-  
periori , quando subditus tam  
parum mortificatus invenitur ,  
ut de ipso pro libitu , & quod ex-  
pedire judicaverit , statuere ne-  
queat , sed anxiè semper ac timi-  
dè secum disquirere necessè ha-  
bet , an , quod imperaturus est ,  
subditus æquâ mente sit accep-  
taturus , quâ verborum formâ  
proponendum ut consentiat ,  
quæ motiva afferenda ut persua-  
deat.

deat. Tertia ratio est, quod non expedit subditis resistere voluntati Superiorum, idque Primum, quia in re gravi mortaliter peccant, teste Apostolo Rom. 13. cum ait : *Omnis anima potest a-tibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à DEO : qua autem sunt à DEO, ordinata sunt.* Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideò necessitate subditū estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Secundo, quia subditus non perfectè obediens in causa est, quod Superior tandem ei condescendat, & pro libitu suo agere sinat, quod sanè periculosisimum est,

&amp;

& metuendum , nē id subdito  
causa damnationis existat , dum  
propriam voluntatem , quæ sola  
in inferno ardet , nimium sequi-  
tur , & superiorem in eam trahe-  
re conatur. Unde S. Bernardus  
Serm. de trib. ordin. Eccles. ad  
Patres in capit. *Quisquis vel*  
*apertè vel occultè satagit , ut , quod*  
*habet in voluntate , hoc ei spiritua-*  
*lis Pater injungat , ipse se seducit.*  
Et tamen videmus hoc tempore  
tam in Religiosis quam Eccle-  
siasticis , id passim practicari ,  
quod subditi ea officia & munia ,  
quæ illorum voluntati & genio  
minùs arrident , acceptare re-  
nuant , & superiori quod sibi in-  
jungi cupiunt , non obscurè in-  
sinuent & quodammodo præ-  
scri-

scribant , ita ut cùm ipsi ad exemplum S. Pauli seipsos indiferentes superiori offerre deberent, dicentes : Domine quid me vis facere ; Act. 9. Superior ex ipsis petere cogatur , quod Christus ex Cæxo : quid tibi vis faciam ? Luc. 18.

Porrò actus sive gradus Obedientiæ primus est , exequi promptè , fortiter & integrè rem à Superioribus præceptam . Quæ Obedientia operis dicitur . Secundus est propensio voluntatis sponte & libenter rem præceptam exequentis , & dicitur Obedientia voluntatis , distinguiturque à priori , quod in illa possit adhuc esse renisus aliquis & repugnantia

vo-

voluntatis, hæc autem insuper dicat facilitatem & propensionem ad operis executionem. Tertius gradus est Conformatio proprij Judicij cum judicio Superiorum, Judicando id optimum & expedientissimum, quod ipsi statuerint, diciturque *Obedientia intellectus*, de quâ S. Gregorius Mag. lib. 2. cap. 4. in 1. Reg. *Vera obedientia nec Praepositorum intentionem discutit*, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ *judicium majori subdidit*, in hoc solo gaudet, si, quod sibi præcipitur, operatur: nescit enim *judicare*, quisquis perfectè didicerit *obedire*. Et S. Hieronymus Epist. 4. ad Rust. cap. 7. *Credas tibi salutare, quidquid*

Pra-

Præpositus præceperit : Nec de majorum sententia judices , cuius officium est obedire & implere, quæ jussa sunt , dicente Moysi : Audi Israël , & tace.

---

## CAPUT IX.

### De Temperantia.

**L**uxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas ; quicunque his delectatur , non erit sapiens. Proverb. 20. Temperantiae nomine intelligo hic eam virtutem, quæ appetitum moderatur circa delectationem cibi & potûs , sive quatenus sub se comprehendit abstinentiam & sobrietatem : de Castitate enim, quæ species quo-

D

que

que est, vel pars integrans Temperantiae, jam supra diximus. Numerantur autem illius actus sequentes :

Primus studium cognoscendi quæ cibi ac potūs quantitas necessaria sit ad vitæ & valetudinis nostræ conservationem, nec non ad debitam munera à DEO nobis injunctorum administrationem. Secundus est non desiderare cibos singulares & delicatos, sed communibus & facile parabilibus contentum vivere, juxta exemplum Sanctorum, quibus DEUS in Scriptura legitur parasse mensam plerumque vulgarem & communem. Tertius est nunquam cibum sumere

mere vel potum , nisi tempore  
& loco consueto. Quartus , ca-  
vere à nimia aviditate & festina-  
tione in ipsa sumptuione cibi vel  
potūs , juxta monitum sapientis  
*Eccli. 37. Noli avidus esse in omni*  
*epulatione , & non te effundas su-*  
*per omnem escam : in multis enim*  
*escis erit infirmitas , & aviditas*  
*appropinquabit usq; ad choleram.*  
Quintus est , nunquam de cibis  
vel potu miscere sermones , nec  
de ijsdem conqueri aut murmu-  
rare , quod minùs lautè præparati  
fuerint , juxta exemplum S. Ca-  
roli Borromæi , qui nunquam  
loqui vel querelari auditus est  
de cibis , quod fortè appositi es-  
sent , quos nollet , aut non allati  
quos vellet. Sextus Temperan-  
tiæ

tiæ actus est vitare occasions , in quibus contra illius regulas peccari solet ; quales imprimis sunt **comessationes & convivia tam domi quam foris celebrari solita.** Et quidem quod Parochus domi suæ mensam frugalem collere , & convivia intermittere debeat , hortatur Hieronymus Epist. ad Nepotianum Clericum , cum ait : *Mensulam tuam pauperes & peregrini , & cum illis Christus conviva noverit . Turpe est ante fores Sacerdotis Christi Crucifixi & pauperis , & qui cibo quoque vescebatur alieno , lectores Consulum & milites excubare , judicemq; provinciae melius apud te prandere quam in palatio . Et alibi : Si in Apostolorum loco sumus , non solum ser-*

sermonem eorum imitemur , sed conversationem quoque & abstinentiam amplectamur : non oportet , inquiunt , dimisso verbo DEI ministrare nos mensis . Totâ Clerici urbe discursant , querunt exhibere judicibus , quæ illi in prætorijs suis aut invenire non possunt , aut certè inventa non coëmunt .

Quoad convivia verò in alienis ædibus monet idem Hieronymus Epist. cit. ad Nepotianum his verbis : *Convivia tibi vitanda sunt secularium , & maximè eorum , qui honoribus tument . Consolatores potius nos in mæroribus suis , quam convivas in prosperis noverint . Facile contemnitur Clericus , qui sæpè vocatus*

ad prandium non recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati: nescio enim quo modo etiam ipse, qui deprecatur, ut tribuat, cum acceperis, viliorem te judicat, & mirum in modum, si cum rogantem contempseris, plus te posteriorius veneratur. Imprimis autem vitanda sunt Parocho convivia Baptismalia & Nuptialia, sicut ea Clericis expressè prohibuit Concilium Agathense cap. 39. Et alia postmodum diæcesana Concilia sunt subsecuta; Imò & Celsitudo Sua prioribus, scilicet Convivijs baptismalibus per utramque Diæcesin suam ipsis quoque laicis penitus interdixit, posteriorum verò luxum laudabiliter restrinxit. Nec excusat exemplum

plum Christi accendentis. Nuptias in Cana Galilææ, sicut benè notat Petrus Abelardus Serm. de Epiphan. cum ait: *Si quis igitur Clericorum tantæ opportunitatis occasionem se habere confidit, accedit intrepidus, gerat quæ Christus, & ei indulgemus.* Cum autem vita hominis tentatio sit, & inter nuptiales epulas maximè sobrietas perreat, honestas periclitetur, luxuria convalescat, tanto hæc convivia amplius vitanda sunt, quanto eos in virtutibus præeminere decet.

\* \*

D 4

CA-



## CAPUT X.

## De Liberalitate.

**E**st autem quæstus magnus; Pietas cum sufficientia, habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contentissimus. 1. Timoth. 6. Definitur Liberalitas: Virtus quæ moderatur affectum & appetitum ad bona tempora- lia, sive per quam deposito in- ordinato bonorum tempora- lium studio, ea alacriter in propriam & proximi utilitatem, atque ad DEI cultum secundùm rectam rationem impendimus. Opponitur ei per defectum Ava- ritia,

ritia , quâ homo suprà debitum modum cupit acquirere vel retinere bona hujus mundi , estque vitium summoperè dedecens Parochum , & plurimorum in eo malorum caput atque origo : *Primò* Enim Spiritum devotionis extinguit , quotidiana illius exercitia insipida reddit , mentem continuis curarum & solitudinum stimulis exagitat , illamque in officij divini recitatione & Missæ Sacrificio in varias & inutiles cogitationes distrahit , concepta meditationis matutinæ proposita suffocat , quin imò nec tempus quidem & otium ad meditandum permittit ; unde etiam jure merito à Christo spinis bonum semen-

tem Patrisfamilias suffocantibus  
comparatur, *Matth. 13.* Secundo,  
Parochum ad se<sup>ct</sup>andum tur-  
pem quæstum, mercaturam, &  
ignominiosam statui Clericali  
negotiationem impellit, quam  
velut scandalosam, multisque  
perjurij, fraudis ac injustitiæ pe-  
riculis expositam ALEXANDER III.  
sub interminatione  
anathematis omnibus Clericis  
interdixit *cap. Secundum; 6. tit.*  
*ne Clerici.*

Tertio, Parochus, cuius ani-  
mum inexplebilis pecuniæ sitis  
jam occupavit, in ipsis quoquæ  
sacris Ecclesiæ functionibus lu-  
cro inhiare, & quæ Christus  
Sacramenta tanquam salutis no-  
stræ


stræ media instituit , ille ad finem prophanum & opes cumulandas ordinare non erubescit : Undè etiam ulteriùs accidit , ut pauperibus in sua Parochia & miseris , à quibus nullam retributionem sperare potest , in administratione SS. Sacramento rum tam facilem ac promptum se non exhibeat . Quartò , Avaritia Parochum reddit immisericordem & durum ergà personas miseras & affictas , quarum tamè curam illi specialiter commissam esse docet , Tridentinum Sess. 23. de reformat. cap. 1. cum ait , Præcepto divino mandatum esse omnibus , quibus animarum cura commissa est , pauperum aliarumque miserabilium personarum

*curam paternam gerere.* Et indicat S. Paulus ad Galatas 2. dicens, cæteros Apostolos post datas invicem Societatis dextras à se & Barnaba petijisse, *tantum ut pauperum memores essent.*

A Iterum vitium, quod Liberalitati per excessum opponitur est Prodigalitas, quæ in largiendo exceditur, & contingit vel dando, quibus non oportebat, vel ex causis, quibus non debebat; vel excedendo modum inquantitate dati; vel denique nimios sumptus expendendo in proprios usus. Prohibet eam non solum Episcopis, verum etiam quibuscunque beneficia Ecclesiastica obtinentibus Tridentinum

num Sess. 25. de refor. cap. 1. jubens, ut modestâ supellectili & mensâ ac frugali viâ contenti sint: nequè ex redditibus Ecclesiæ Consanguineos, familiaresvè suos augere studeant, sed si pauperes sint, ijs ut pauperibus distribuant; eò quod res DEI sint. Idem statuit Celsissimus ac Reverendissimus Noster in decreto suo supra memorato de Parochis Diœcesis Herbipolensis, ubi insuper Definitoribus, Decanis, & Consiliarijs Ecclesiasticis, maximè autem Fiscali serìo injungit, ut eos, qui ludendo, bibendo, circumvagando, vel aliter nec finem, nec modum dissipationum fecerint, fideliter denuntient, quò sic maturè intrà honestatis terminos con-

contineri , aut si ita visum fuerit  
Domui Demeritorum usque ad  
correptionem ac emendationem  
condignam immancipari pos-  
sint. Et meritò quidem , peccat  
enim Parochus prodigus non  
solùm in seipsum , sed etiam in  
Ecclesiam & pauperes , quibus  
ex superfluis redditibus sive ex  
Justitia , sive ex Religione pro-  
videre debet , ut testatur S. Tho-  
mas q. 119. Art. 3. ad 1. cum ait  
Clericos esse Dispensatores bono-  
rum Ecclesie , quae sunt pauperum ,  
quos defraudant prodigè ex-  
pendendo.



CA-

## CAPUT XI.

### *De Fuga Otij.*

**M**ultam malitiam docuit otiositas. Eccl. 33. Effectus Otij est casus Regis Davidis 1. Reg. 11. Iniquitas Pentapolitatum Ezechiel. 16. Et seductio vecordis illius juvenis Proverbior. 7. Videlicet sicut aqua stagnans & immota progenerat serpentes, bufones, aliaque animalia immunda ; sicut ager incultus profert spinas & tribulos ; sicut aer immotus pestilens existit & venenosus : ita homo qui serijs rebus corpus & animam non exercet,

ercet , pessimos scelerum & ini-  
quitatum fructus producit , ma-  
ximè si in delitijs vivat , & san-  
guis in corpore juvenili adhuc  
ferveat , His verò tam perniciosis  
otij & desidiæ effectibus facilli-  
mè obviabit Parochus , si omnes  
totius diei horas eâ ratione &  
modo distribuat , certamque cui-  
libet horæ functionem suam ita  
assignet , ut semper cum diabo-  
lus occupatum inveniat . Ut enim  
otiosus deficit ab ordine suo , sic qui  
ordinem sibi constituit , otiosus  
esse desinit , juvta Theophila-  
tum in 2. Thessal. 3.


Præscribit hanc temporis di-  
stributionem Celsissimus ac Re-  
verendissimus Noster in suo De-  
creto

creto suprà citato his verbis :  
*Functiones suas per integrum diem ita distribuent, ut nec otio, nec commissationibus, vel alijs indignis occupationibus locum dent; vultque Visitatores suos in eam distributionem studiosè inquirere, ut ibidem subdit.* Loquitur de hoc ordine temporis etiam B. Laurentius Justinianus *Lib. de discip. & perfect. monast. convers. cap. 10.* dicens : *Maximi procul dubio periculi res est, pro ut suggerit animus, velle degere. Propterea cunctis consulendum est, ut taliter unumquodque disponant opus, quatenus quaelibet hora propriam habeat actionem. Sciant, quando orationi, quando lectioni, quando operi manum incumbendum*


dum sit ; ne acedia spiritu in mentis dubietatem vel hebetudinem evecti tempus suum inaniter consumant. Porro ab hac regula , quam sibi ipsi Parochus in observatione temporis præscripsit, recedere nunquam debet , aut in ullo casu dispensare , *Nisi fraternali charitate , vel necessitate aliqua , vel obedientia majoris retardetur , ne paulatim viam ad laxitatem sternat , ut benè monet S. Bonaventura myst.*

*Theol. Cap.*

*3. p. 3.*

......

CA-



## CAPUT XII.

### *De Fuga Familiaritatis Laicorum.*

**N**olite transfire de domo in domum. *Luc. 10.* Noluit Christus Discipulos suos & Prædictores per domos circumcursare, sine necessitate cum Laicis conversari, aut illis familiares se reddere, sed à populo, segregatos, & quantum officij ratio permittit, à sacerdotali consortio abstrahitos vivere: *Primo*, quia per hanc segregationem multa declinant peccatorum pericula. *Secundo*, quia sic aptiores redundunt.

duntur ad orandum & contemplandum , propter quod & ipsum Christum s̄epe legimus in loca ab hominibus separata abivisse , quando Patrem suum cælestem orare volebat. *Tertio* , quia per ejusmodi segregacionem conservant sibi tempus quod per crebras cum Laicis conversationes s̄epe inutiliter consumitur. *Quartò* , quia hac ratione sibi auctoritatem conciliant & venerationem : sicut enim familiaritas contemptum parit , ita solitudo reverentiam & authoritatem. **Unde S. Gregorius :** *Egressus Samuelis expectetur ; quia viri sancti in secreto silentij sui venerandi sunt : Raro videbatur in civitate , tardè veniens,*

niens, citò recedens: Quo magisterio S. Ecclesiae Doctor instruitur, ut raro sit in publico, frequens in occulto; ut quo tardius aspicitur, diutius veneretur. Atque his de causis Celsissimus ac reverendissimus Noster in suo Decreto jam supra memorato statuit, ut sui Clerici Sæcularium familiaritatem quandoque nocivam devitent, & ne Alumni in Seminario vel extra illud ipsum in urbe cum sæcularibus cœnent aut prandeant, vel aliter ( nisi quantum summa necessitas ac Superiores voluerint ) conversentur. Et quidem si Parochus eo, quo supra diximus, modo tempus suum ita distribuat, ut cuilibet horæ certa sua respondeat functio, nullum ei tempus con-

conversandi inutiliter cum Lai-  
cis supererit, & functionum pul-  
chro sibi ordine succendentium  
alternatio omne temporis & la-  
boris fastidium ita tollet, ut non  
solum occasionem conversatio-  
nis non sit expetitus, verum  
etiam si haec adfuerit, ægrè & in-  
vito animo illâ sit usurus, media-  
qùe ab importuno se hospite li-  
berandi indagaturus. Quale me-  
dium suggerit S. Franciscus Xa-  
verius, cùm monet, ut quis cum  
tali, per quem se in solitis suis ex-  
ercitijs prævidet impediendum,  
sermonem de rebus divinis & sa-  
lutem concernentibus instituat:  
quo si alter delectetur, habet jam  
aliquem laboris & conversatio-  
nis suæ fructum: si verò alter in-

vi-

vitus de ejusmodi spiritualibus sermonem audiat, haud diu auseculabit, sed brevi discedet, relinquens ei tempus pro suis functionibus ordinarijs constitutum, nec tam facile revertetur.

---

## CAPUT XIII.

### *De Meditatione.*

**N**isi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte perijsem in humilitate mea, Psal. 118. Significat his verbis Psalmista necessitatem Meditationis sive Orationis Mentalis: quæ necessitas quamvis in omnibus DEO servire volentibus, imprimis tamen in animarum Pastore reperitur

perit ut esse maxima , idque pri-  
mò quia hic destituitur illo mu-  
tuæ societatis bono , quo alij in  
Collegijs & Monasterijs convi-  
ventes perfruuntur , dum per  
pia colloquia & spirituales con-  
ferentias se mutuo excitare , &  
fervorem Spiritus sui conserva-  
re possunt. Secundo quia Paro-  
chus in quotidianis ferè pericu-  
lis versatur , & sic etiam quoti-  
die sibi per Meditationem vel  
sacram lectionem de remedijis  
prospicere necesse habet.

Tertio quia frigidæ admodum  
& quasi emortuæ ejus ad popu-  
lum Conciones existent , nisi  
meditatio illis animam addat &  
Spiritum. Quartò quia diver-  
sa

sæ & necessariæ sæpè rei familia-  
ris distractiones paulatim tempo-  
rem inducent, eumque in Spi-  
ritu languescere facient, nisi  
flabro Meditationis & recolle-  
ctionis quotidie reaccendatur &  
foveatur: Sicut enim carbones  
vivi paulatim splendorem ignis  
& calorem amittunt, quando à  
flamma separati sub liberâ aurâ  
collocantur, nisi continuò venti-  
labro conserventur, ita quoque  
Parochus licet in Seminario pie-  
tatis ardore accensus fuerit &  
flagraverit, si tamen à Conferen-  
tijs Spiritualibus remotus, & in  
liberiorem auram dimissus fue-  
rit, paulatim à fervore Spiritus  
remitte, amissoque igneo chari-  
tatis colore nigredinem peccato-

E rum

rum contrahet, nisi quotidianâ Meditatione quasi flabro quodâ se assiduè excitare & Spiritum suum renovare laboret. Perspexit probè hanc necessitatem Celsissimus ac Reverendissimus Noster, quando in suo Decreto jam sæpius memorato Consiliarijs, Decanis, ac quibuslibet Visitatoriis suis Diœcesis injunxit, ut Parochi in visitationibus ac Capitulis ruralibus diligenter examinentur, maximè de functionibus ad se spectantibus, quotidianis Meditacionibus, Lectionibus spiritualibus &c.

Definitur autem Meditatio, quod sit attenta rerum divinarum consideratio, ad excitandos affectus pios erga DEUM, & con-

concipienda proposita vitæ Spirituali accommodata. Tres illius sunt partes : prima continet præparationem , & duplex est : una *Remota* , quæ fit pridie selingendo materiam certam , solidam & ex principijs fidei nostræ depromptam, eamque in duo vel tria puncta dividendo , & certum quendam finem sive scopum , qui in meditatione spe-ctandus est , præfigendo. Altera præparatio est *Propinqua* , & consistit partim in oratione sive petitione gratiæ DEI , partim in præludijs , quæ sunt recognitio præsentiaæ Divinæ , & finis particularis per preces commendatio.

Secunda pars Meditationis continet officium & exercitium intellectus & voluntatis : Intellectus quidem , ut is primò circa materiam Meditationis actum fidei eliciat , qui fundamentum sit & solida basis actuum voluntatis exinde consecutrorum. Secundo ut ipsam Meditationis materiam non simplici tantum actu fidei secundum nudam substantiam percipiat, verum etiam circumstantias & qualitates ad voluntatem movendam idoneas penetret. Tertio ut ex prævijs fidei actibus deducat conclusiones practicas, quibus determinet quid amandum , timendum , desiderandum , fugiendum &c.


Ex-

Exercitium voluntatis est primo , ut ex proposita fidei veritate eliciat pios affectus , sive diversarum virtutum actus , & colloquia cum Christo , B. Virgine , Angelo Custode &c. Secundo , ut efformet proposita conclusionibus per intellectum ex fide deducatis consentanea , statuens qualiter per decursum illius diei juxta dictamen ab intellectu propositum vivere velit , quibus medijs ad superandam passionem , vel virtutem acquirendam uti. Quæ quidem proposita voluntatis esse debent non generalia & abstracta , sed particularizata , & de Vitio in tali occasione , loco , tempore &c. fugiendo ; Eò quod proposita solum generalia

ordinariè suo effectu careant,  
& animum non satis fortiter  
contra tentationes præmuniunt.

Tertia pars Meditationis est *Conclusio*, & consistit in tribus. Primum est, ut DEO agantur gratiæ pro luminibus per decursum Meditationis communica-  
tis. Secundum, ut petatur gra-  
tia ad proposita fideliter exe-  
quenda. Tertium, ut hæc ipsa  
proposita & affectus contrahan-  
tur in brevem aliquam & ner-  
vosam sententiam pro juvanda  
memoria, & fervore ex Medita-  
tione concepto imposterūm con-  
servando : quæ sententia à S. Sa-  
lesio *fasciculus devotionis*, ab alijs  
verò *Tessera* nominari solet.

CA-



## CAPUT XIV.

De Examine Conscien-  
tiae.

**Q**uae dicitis in cordibus vestris, in cubiculis vestris compungimini. Psal. 4. Describitur Examen conscientiae, quod sit vitæ actionumq; nostrarum recognitio, estimatio, & expensio ad finem vocationis nostræ directa ad eas corrigendas. Utilitas ejus multiplex est. Primo enim errores admissores per contritionem retractat, hominemque D E O reconciliat. Secundo per novum propositum mentem con-

fortat in futurum. *Tertio* hominem dicit in veram & genuinam sui ipsius cognitionem. *Quarto* prudentiam parit in Spiritualibus & experientiam: *Consilium enim futuri venit ex prærito*, ut ait Seneca.

Dividitur autem Examē Scientiæ in *Generale*, quod pro materiâ habet omnes actiones, errores & defectus ab ultimo tempore facti examinis admissos: & in *Particulare*, quod vi-  
tium aliquod in particulari extirpandum respicit. Prius constat in Quatuor potissimum pun-  
ctis: Primum, est petitio gratiæ ac luminis à DEO ad reperien-  
dos defectus & peccata, in quæ pro-

prolapsi sumus. *Secundum*, est exactio rationis de cogitationibus, verbis & operibus, ab ultimo examine admissis. *Tertium*, est dolor de peccatis, si quæ deprehensa sint ; vel gratiarum actio, si ab illis fuerimus præservati. *Quartum* denique Punctum est Propositum emendationis de futuro & conclusio totius examinis per brevem aliquam orationem. Generali examini teste Alphonso Rodericio p. 1. tract. 7. c. 10. n. 3. subjungitur *Particulare*, cuius hæc est praxis : Primò in eligenda materia aliquius vitij extirpandi habenda est ratio gravitatis & universalitatis, ut semper ante omnia laboremus eradicare illud, quod

E 5      cæ-

cæteris graviùs, & aliorum vitiorum fons atque Caput esse solet. Secundo necesse est in unoquoque vitio distingui gradus, ut non uno voluntatis nisu sive conatu totum vitium in suâ generalitate oppugnemus, sed ab uno actu ad alterum gradatim procedamus. Tertio numerus quotidianorum lapsuum scripto annotari debet, & tempus matutinum cum pomeridiano, dies cum die, mensis cum mense conferri, ut quantum profecerimus, faciliùs dignosci queat. Quarto non facilè mutanda est particularis Examinis materia, sed tamdiu uni vitio oppugnando insistendum, quoad usq; planè devictum fuerit & superatum. Quinto

tò posteaquam lapsos nos esse deprehendimus , statim elicto dolore error est corrigendus , & propositum renovandum. Sextò denique post lapsum semper pœna aliqua à nobis exigenda est , & castigatio voluntaria infligenda. Porrò Tempus Conscientiam examinandi opportunum juxta Alphon. Rodericum p. 1. tr. 7. c. 10. n. 2. & 3. M. Avilam in audi filia ; c. 62. Ludovicum de Ponte in suo Duce Spirituali tr. 2. c. 7. §. 5. &c. est Matutinum , Meridianum , & Vespertinum , unde S. Dorothaeus Ser. 11. Quo pacto per singulos dies nos ipsos purgare , & propemodum expiare debeamus , exactè docuerunt Majores & Patres nostri , nempe ut

ut Vespere sedulò quisq; perquirat & investiget, quomodo pertransierit diem illum: rursus manè examinet, quomodo exegerit noctem illam, & pænitentiam agat, & resipiscat coram DEO, si quo pacto (ut fieri potest) peccatum aliquod admiserit.

---

## CAPUT XV.

### De Exercitijs Spiritualibus.

**V**enite seorsim in desertum locum, & requiescite pusillum  
Marc. 6. Nomine Exercitorum  
Spiritualium intelligitur hic re-  
collectio sui ipsius per meditatio-  
nes, Spirituales lectiones, ora-  
tiones

tiones , examina Conscientiæ , & alias functiones Spirituales per aliquot dies certo ordine & methodo sub directione Patris Spiritualis instituta. Finis dictorum Exercitiorum est , mentem recolligere , sive statum suum interiorem perspicere & ordinare , quid imposterum fieri oporteat ad eum , si sanus & rectus inveniatur , conservandum , aut si distortus & pravus , reformatum. Unde patet summum illorum esse fructum & utilitatem : *Primo* enim faciunt hominem devenire in statu sui interioris , vitiorum & defectuum exactam notitiam , quos defectus fortassis hucusque proprio amore excæcatus nunquam agnovit saltem esse

esse tam graves & indecentes. **S**e-  
**cundò** omnia præterita peccata  
per Confessionē Generalem ex-  
piantur , ac si qui fortè in præce-  
dentibus confessionibus errores  
admissi fuissent , corriguntur.  
**Tertiò** peccatorum radices &  
causa investigantur , mediāque  
deinceps illa declinandi excogi-  
tantur. **Quartò** novi stimuli &  
calcaria homini adduntur ad re-  
liquum vitæ suæ stadium ala-  
crius decurrentum, caviturque  
ne conceptus in prima status  
**Clericalis** susceptione fervor  
languere progressu temporis in-  
cipiat. Quæ etiam ratio fuit, cur  
**Celsissimus** & **Reverendissimus**  
Noster in Decreto suo jam sæpius  
nominato tam serio & sub inter-  
mina-

minatione Divini judicij suo in  
Spiritualibus Vicario Generali,  
& Consiliarijs Ecclesiasticis in-  
junxerit, omnes ac singulos ani-  
marum curæ præstitutos annua-  
tim ad dicta Exercitia convo-  
care.

Praxis autem & methodus  
hæc Spiritualia Exercitia cum  
fructu obeundi ab Asceticis Do-  
ctoribus præscribitur ista: *Primò*  
Seponenda sunt omnia alia ne-  
gotia, & animus à Curarum tem-  
poralim strepitu subducendus,  
ut DEUM intus loquentem Af-  
ceta audire possit. *Secundo* com-  
mendandus est hic exercitiorum  
secessus DEO & Sanctis per pre-  
ces, lumenque petendum ad mi-  
ferias

serias , & indigentias spirituales agnoscendas. Pro quo fine eligi poterit præter B. V. MARIAM unus alterve Patronus , v. g. S. Josephus, Angelus Custos &c. *Tertiò* excipiendæ sunt instru-  
tiones & monita Patris sive Ducis Spiritualis , qui ascetæ in  
hac solitudine adjunctus fuerit ,  
ut ipsum in distributione tem-  
poris, determinatione materiæ,  
meditatione & sacra lectione  
dirigat , in dubijs & difficultati-  
bus Conscientiæ suæ enodandis  
auxilium præbeat , consilia &  
media opportuna ad curandos  
animi morbos , & progressum in  
vita spirituali faciendum sugge-  
rat. *Quartò* añotanda sunt lumi-  
na potiora , quæ in meditatio-  
nibus

bus & reliquis Exercitiorum functionibus à DEO superno lumine in anima accenduntur , sicut & concepta vitæ in melius mutandæ proposita, ut deinceps fæpius relegi , & in memoriam revocari possint. *Quintò* instituenda est Confessio Generalis omnium peccatorum , saltem ab ultima Generali Confessione admissorum , si tamen ea Patri spirituali visa fuerit expediens , & non magis eam propter Conscientiæ anxietates & scrupulos omittendam judicaverit. *Sextò* denique postquam Exercitia finem suum habuerint , referendæ sunt DEO Opt. gratiæ pro luminibus & omnibus donis iu decursu Exercitiorum

rum concessis , rogandusque est ,  
ut , qui velle dedit , perficere  
etiam tribuat .

---

## CAPUT XVI.

### *De Celebratione quotidiana & Confessione Sacramentali.*

**Q**ui manducat me , & ipse vivet propter me . *Joan. 6.*  
Quantum subsidij Parocho conferat ad se conservandum in  
Statu gratiae quotidiana & digna  
celebratio , sive oblatio Sacrificij  
incruenti , patet indè , quod  
inter celebrandum sumat Domini  
Corporis & Sanguinis Sacra-  
mentum , cuius effectus Specia-  
lis

Iis est, nutritre & confortare animam adversus tentationes , & à peccatis præservare : Sicut clare indicat Tridentinum. *Sess. 13.*  
*Cap. 2.* Cum ait : *Sumi autem voluit Sacramentum hoc , tanquam spiritualem animarum cibum , quo alantur , & confortentur viventes vitâ illius qui dixit :*  
*Qui manducat me , & ipse vivet propter me : & tanquam antidotum , quo liberemur à culpis quotidianis , & à peccatis mortalibus præservemur.* Dixi : *Dignam Celebrationem :* Ut verò Parochus dignè quotidiè celebret , duo imprimis observanda sunt ; Primum est , ut vita ipsius sit continua quædam ad Sacram Communionem præparatio , id est ,  
ut

ut manè à somno usquè ad tempus Sacrificij à quibusvis peccatis, etiam venialibus, abstinere satagat, cā videlicet de causâ, quia illo die est communicatus; post celebrationem verò usq; ad finem diei, sive usquè ad somnum se immaculatum conservet, ideo, quia illo die communicavit: Nequè enim Parochus minorem animi præparationem ad hanc Sacram mensam afferre debet quàm Laici, qui diebus illis, quibus communicant, singulari studio à peccatis sibi cavent, & operibus pietatis se dedunt. Alterum est, ut Parochus per Confessionem Sacramentalem frequenter Conscientiam suam emundet juxta illud

illud *Apostoli 1. Corinth. 11. Probet*  
autem se ipsum homo, & sic de pa-  
ne illo edat, & de calice bibat.  
Non enim sinit frequens Con-  
fessio sordes peccatorum etiam  
venialium in conscientiâ cumu-  
lari, sed sicut scopæ itetatae con-  
servant munditatem domûs, ita  
& hæc munditatem & puritatem  
mentis. Laudabilis est multo-  
rum Parochorum consuetudo,  
ut singulis saltem octo diebus se-  
mel ad minimum Confessio-  
nem suorum peccatorum insti-  
tuant, nisi necessitas aliquando  
pluriès intra hebdomadem exi-  
gat. Ordinârunt Patres Tri-  
dentini *Sess. 23. de reform. c. 18.*  
de pueris in Seminario educan-  
dis, ut hi saltem singulis mensi-  
bus

bus confiteantur peccata. Adul-  
tiores verò & aliquo jam Ordine  
Sacro initiatos monent in ea-  
dem Sessio. c. 13. ut sciant, maxi-  
mè decere, si saltē diebus Domi-  
nici & solemnibus, cum altari  
ministraverint, sacram Commu-  
nionem perceperint, præmissā sci-  
licet, Sacramentali Confessione,  
& Celsissimus ac Reverendissi-  
mus Noster in suo Decreto supra  
memorato statuit, Neminem ad  
ullum sive Majorem sive Minorem  
Ordinem, imò nec ad Tonsuram  
quidem admittendum esse, qui non  
menstruatim bis ad minimum ad  
Sacramentalem Confessionem & sa-  
cram Communionem accesserit.  
Quid ergò Hi minus à Sacerdote  
& Parocho exigere poterunt,  
quam

quām ut singulis saltem octo diebus sacram pœnitentiæ Tribunal frequentet pro acquirendâ & conservandâ illâ , quam sacra Mysteria requirunt , animi puritate & sanctitate . Nec dicas : quid semper pro absolutione afferam ? deficit me materia : *Sep-  
ties enim in die cadet justus. Pro-  
ver. 24.* Et , si vestis , quæ intra cubiculum asservatur , pulvere sàpè conspergitur , ac purgatione opus habet , quantò magis illa quæ foris in platea & compitis circumfertur ? Volo dicere : Si religiosus in clauistro suo existens invenit post octiduum in suâ conscientiâ , quod per Confessionem purget , quantò magis Parochus in munda-

nâ

nâ conversatione constitutus ? quod si aliam pro absolutione materiam non inveniat , hæc certè sufficiens erit , quod in quotidianis suis actionibus adeò negligens & incurius fuerit , ut defectus & errores in illis admis-  
tos non observârit . Quod si ve-  
rò ( sicut fieri potest ) lethali  
peccato se inquinâset Parochus ,  
servanda esset illa præceptio  
Tridentini Sess. 13. c. 7. statuen-  
tis , ut nullus sibi conscientia mortalis  
peccati , quantumvis sibi contritus  
videatur , absq; præmissâ Sacra-  
mentali Confessione ad Sacram  
Eucharistiam accedere debeat . Mo-  
do non desit copia Confessoris .  
Quod si necessitate urgente Sacer-  
dos absq; præviâ Confessione cele-  
brave-

braverit, quamprimum confiteatur. Confessarium quod attinet, solent aliqui Parochi confiteri suis Capellanis, & Capellani vicissim suis parochis; quod ego non probo, saltem extra necessitatem propter mala, quæ exinde accidere possunt & solent partim contrà Reverentiam Sacramenti, partim etiam contrà spiritualem Pœnitentium utilitatem. Confessarius igitur eligatur talis, qui sit vir matus & gravis, doctus, discretus, & non nimium familiaris, quique pœnitentem carpere vel monere non erubescat, si ita ad emendationem illius necesse fuerit.



## PARS TERTIA

*De his , quæ Parochum  
perficiunt in ordine ad  
DEUM.*

### CAPUT I.

*De functionibus Ecclesiasticis ac-  
curatè & exactè Parocho  
obeundis.*

**I**N omnibus operibus præcellens  
Iestō Eccli. 32. Munia & fun-  
ctiones Parochi sunt recitare  
Breviarium, offerre Sacrificium,  
concionari, catechizare , visi-  
tare infirmos , corrigere pec-  
cantes , Sacramenta admini-  
strare

strare &c. Quæ omnia non obiter, perfunctoriè, & levi ut ajunt brachio, sed exactè, alacriter, accuratè, & cum singulari industriâ obire debet, *Primo* quia sunt actiones & ritus ad cultum summo D E O deferendum instituti, & proprium quodammodo illius opus, de quo *Jerem. 48. maledictus qui facit opus DEI fraudulenter*, sive ut alij legunt, *negligenter*. *Secundo* quia accurata ejusmodi & exacta rerum sacrarum tractatio plurimam illis coram adstantibus confert autoritatem & æstimationem: sicut econtra lurida & perfunctoria earum administratio apud vulgus vilescente illas facit & contemni:


F 2                  quam

quam enim aestimationem concipere poterit indoctum vulgus de rebus sacris , si viderit eas vilipendi ab his , quos putat aequos esse rerum estimatores.


Porro modus dictas functiones accuratè & ad amissim obeundi est , primus ut Parochus antequam illas aggrediatur , prius apud se per brevem moram consideret , quam rem tractare velit , quæ illius dignitas , sanctitas , necessitas , utilitas &c. Secundus , ut omnes & singulas Cæremonias pro qualibet functione in Rituali præscriptas exactè semper observet , nullum ritum impertinentem addat , neque aliquem præscriptum omittat.

tat. Quod quidem ut certius fiat, prævidendus erit semper liber Ritualis, si temporis ratio & necessitas permittat, antequam Parochus functionem aliquam obire incipiat. Tertius modus est, ut omnes Corporis gestus ad modestiam & gravitatem componat; risum, confabulationem, oculorum evagationem & cæteras levitates; devitet considerans suam quam in tali functione sustinet personam: est enim constitutus puplicus Ecclesiæ Minister, Mysteriorum DEI dispensator, pro Christo legatione fungens, nec non Mediator Deum inter & homines. Quartus est, ut singula verba non tantum formæ, sed etiam reliquarum

precum ab Ecclesia in sacris functionibus præscriptarum clarè, distinctè, graviter & cum affectu quodam pietatis ac sensu devotionis ex libro recitet. Quintus denique modus est, ut peractâ qualibet functione sacrâ supra illam se reflectat & examinet, nùm error aliquis circa illam admissus? in quo? unde accidet? & quomodo deinceps corrigendus?



CA-



## CAPUT II.

*De sanctitate & puritate animi, cum quâ functiones sacrae à Parocho sunt obeundæ.*

**S**ancti estote, quia Ego sanctus sum Dominus DEUS vester. Levit. 19. Vult sanctissimus Deus Mysteria sua cum Sanctitate & internâ animi puritate tractari, quia ipse, ad cuius cultum illa ordinata sunt, omnis impuritatis hostis est, & quidquid immundum est abominatur. Unde jam olim in lege Mosaicâ suis Ministris sanctitatem aliquam præcepisse legimus Levit. 21.

F 4

his

his verbis : Sancti erunt DEO suo,  
& non polluent Nomen ejus ; incen-  
sum enim Domini, & panes DEI sui  
offerunt, & ideo sancti erunt. Qui  
habuerit maculam, non offeret panes  
DEO suo, nec accedet ad ministerium  
ejus &c. Quin & certos ritus ac  
cæremonias per servum suum  
Moysen instituit, quib⁹ munda-  
ri, sanctificari, & consecrari de-  
bebant, qui ad ministerium il-  
lius essent accessuri , ut patet Le-  
vit. 8. Verum illa sanctitas so-  
lum erat legalis & externa , ac  
figura quædam sive adumbra-  
tio veræ internæque sanctitatis ,  
sicut etiam sacrificia illius legis  
& ministeria solum præfigura-  
bant sacrificium nostrum &  
ministerium Ecclesiæ Christi :

Qua

Quapropter quò sanctiora jam sunt Mysteria nostra & functio-  
nes circa illa, eò major requiri-  
tur sanctitas & puritas in eorum  
ministris, sicut benè notat san-  
ctus Ambrosius lib. 1. offic. c. 50.  
cum ait: *si in figura tanta obser-  
vantia, quanta in veritate? disce  
Sacerdos, quid sit lavare vesti-  
menta tua, ut mundum corpus ce-  
lebrandis exhibeas Sacramentis. Si  
populus sine ablutione vestimento-  
rum prohibebatur accedere ad ho-  
stiam suam, tu illotus mente pari-  
ter & Corpore audes pro alijs suppli-  
care? audes pro alijs ministrare?*  
Qui Moysen ardenter rubum  
accedere non est passus cum cal-  
ceis foliditatis. Exod. 3. Quo-  
modo patietur Sacerdotem acce-

F 5

dere

dere ad suum ministerium cum  
conscientiâ turpiter maculatâ ?

Conservatur autem interna  
animi puritas in Parocho impi-  
mis per ea media à nobis *parte 2.*  
recensita. *Secundo* per fugam  
peccatorum venialium , utpote  
quæ ad mortalia paulatim dispo-  
nunt velut morbus ad mortem ,  
juxta illud *Eccl. 19. qui spernit*  
*modica , paulatim decidet.* Solent  
enim peccata levia impedire in-  
fluxum specialium auxiliorum  
D E I ut notat S. Thomas *1. 2.*  
*q. 88. art. 3.* & vires ad resis-  
tendum temptationibus infringere ,  
dum homo paulatim assuescit  
mandatis Divinis & Conscien-  
tiæ repugnare , habitus virtu-  
tum

tum acquisitos diminuit , vitiorum verò consuetudinem & habitus adauget , ac fervorem Charitatis paulatim extinguit.

### CAPUT III.

*De intentione sacris functionibus à Parocho praefienda.*

**I**ucerna Corporis tui est oculus tuus : si oculus tuus simplex fuerit , totum Corpus tuum lucidum erit si autem oculus tuus fuerit nequam , totum Corpus tuum tenebrosum erit. Matth. 6. Voluit Christus per hæc verba significare necessitatem sanctæ Intentionis in operibus nostris , sicut

passim explicant SS. Patres, intelligentes per Corpus ipsum opus, quod facturi sumus, per oculum verò finem & intentionem, ex qua procedere debet. Unde Richardus de S. Victore de Stat. intern. hom. *Quod est corpus sine vitate, hoc est opus sine intentione bona, qualibet ergo actio quamvis bona videatur, quasi mortua judicatur, nisi per consilium ad intentione bonam animetur.* Patet hoc in Jejunio, Oratione & Eleemosynâ apud eundem Evangelistam: Quæ enim opera commendantur, & mercedem habent in Tobia & Centurione Cornelio *Tob. 12. & Act. 10.* ea in Pharisæis reprehenduntur à Christo tanquam vacua & omni mercede supernaturai  
in-

indigna. Nec alia discriminis ratio in Scripturis assignatur, quam quod illi opera sua ex sancto quodam fine & intentione exercuerint, hi verò profanum & inutilem actionibus suis finem præstituerint. Habet scilicet se intentio ad opus, sicut radix ad arborem & illius ramos. de qua S. Paulus *Rom. II. Si radix sancta, & rami.* Possunt autem Parochi duobus ferè modis à debito actionum suarum fine & scopo aberrare : *Primò* si illas ad nullum omnino laudabilem finem referant, sed ex nuda consuetudine vel habitu operentur, aut certè ex intentione solùm naturaliter bonâ & honestâ, ne vide-  
licet tanquam rerum suarum ne-

gli-

gligentes multari possint vel reprehendi. Et tales ordinariè in functionibus suis luridi sunt & perfuctorij , servientes solummodo ad oculum , & contenti , si munere suo utcunque ac secundùm externam speciem sint perfuncti. Secundo modo deviare possunt à recta intentione , quando sacris suis functionibus finem præfigunt planè malum & intentionem perversam , v. g. lucrum temporale , aut vanam hominum laudem & æstimationem. Qui duo fines valde multa Parochorum corrumpunt opera. Primus enim Sanctissimorum etiam Sacramentorum administrationi se insinuare solet, Alter verò ministerijs sacri Altaris , Cho-

Chori, & Suggestus insidiari non  
erubescit. Porro intentio per-  
fectissima , maximè meritoria ,  
& securissima , quam Parochus  
aliquis operibus sacris & indiffe-  
rentibus præfigere debet, est illa,  
quæ à Charitate D E I dimanat ,  
& ipsius Sanctissimæ voluntati  
satisfacere , gloriam augere ,  
gratum ei obsequium præstare ,  
illique soli placere intendit: Ad  
quam intentionem nos hortatur  
S. Paulus *1. Cor. 10.* cum ait: *sive*  
*ergo manducatis, sive bibitis, sive*  
*aliud quid facitis, omnia in glo-*  
*riam DEI facite. & Coloss. 3.* Omne  
quodcunq;*s*, facitis in verbo aut in  
opere, omnia in nomine Domini no-  
stri Jesu Christi. Dixi intentionem  
illam esse securissimam, quæ  
à Chari-

à Charitate DEI dimanat : docent enim Authores non pauci conformiter D. Thomæ ex Apostolo 1. Cor. 13. opera cujus- cunque virtutis, quamvis ex speciali motivo illius procedant, non esse meritoria vitæ æternæ, nisi à Charitate eliciantur, vel imperen- tur.



PARS



## PARS QUARTA

*De his , quæ Parochum  
perficiunt in ordine ad Pro-  
ximum.*

### CAPUT I.

*De necessitate , quam habemus , cu-  
randi Salutem Proximi.*

**E** Rue eos , qui ducuntur ad mor-  
tem ; & qui trahuntur ad in-  
teritum , liberare ne cesses , si dixe-  
ris : vires non suppetunt , qui in-  
spector est cordis , ipse intelligit , &  
scrutatorem animæ tuae nihil fallit ,  
reddetque homini juxta opera sua.

*Pro-*

*Proverb. 24.* Multi præclara talenta in publicam Reipublicæ Christianæ utilitarem erogando à DEO acceperunt , qui tamen amore quietis & solitudinis ea sæpe in terram defodiunt,nec ullam proximi Curam in se recipere volunt ; quibus meritò S. Augustinus accommodat Evangelicam illam parabolam de servo Pigro & inutili *Matth. 25.* qui acceptum talentum,quod in Domini sui utilitatem impendendum erat , signis in terram defudit , timens ne forte negotiando illud perderet , & gravem Domini sui,quem sciebat hominem esse durum & austерum,indignationem incurreret ; Verùm revertente Domino tanquam servus

vus nequam & inutilis in tenebras exteriores ejectus est & detrusus : additque S. Doctor : *Hi pigri hujus servi exemplo sapiant : non enim aliam ejus condemnationis causam legimus , quam quod talentum acceptum elocare omiserit.* Scilicet cui multum datum est , multum queretur ab eo ; & cui commendaverunt multum , plus petent ab eo. *Luc. 12.* Cum enim auggentur dona , rationes etiam crescent donorum , ut testatur S. Gregorius *Homil. 9.* In Evang. quamvis enim inficiari nemo possit , teneri unumquemque imprimis curam gerere propriæ suæ salutis , & à Curâ aliorum abstinere in casu , quo post accuratam naturæ suæ inspectionem ,

&amp;c

& maturam cum viris prudentibus deliberationem deprehendit eam conditionem fore saluti propriæ noxiam & periculosam : nihilominus negari etiam non potest, sæpe numero intervenire inanem quandam meticulositatem & formidinem , sive potius fraudem & dolum inveterati serpentis, invidentis DEO gloriam , hominibus salutem , & , quæ Ecclesiæ exinde accrescere possit , utilitatem . Cum enim DEI omnia perfecta sint opera , hoc ipso , quod statum aliquem in Ecclesia sua instituerit , particulares illi quoque gratias præparavit & auxilia ad perfectionem in illo statu esse quendam opportuna : neque D E U S aliquem ad ejus-

ejusmodi vitæ statum vocare & dirigere solet, quin simul convenientia eidem remedia, vires & auxilia largiatur ad finem illius obtinendū necessaria, sicut egregie probat tum authoritate Scripturæ, tum etiam ratione S. Thomas. 4. *distinct.* 24. q. 1. *Art.* 2. **ad 1.** Unde si quis omnibus ritè ac prudenter consideratis ad statum Pastoralem se à DEO vocatum judicet, non est, quod vanâ ab eo formidine, & inanibus dia-boli terriculamentis se absterrei-sinat; cùm fieri possit per spe-cialia auxilia sancto huic statui annexa DEO ipsum protegente, ut minùs in Confessionali, alijs-que functionibus publicis, quàm Monachus aliquis in Cellula sua

ab-

absconditus , & muris undique  
cinctus temptationibus infestetur,  
præsertim si ipse sibi etiam non  
desit , & media superius à no-  
bis allata usurpare non intermit-  
tat.

---

## CAPUT II.

### *De Exemplo bonæ Con- versationis.*

**E**xemplum esto fidelium in ver-  
bo , in conversatione , in Cha-  
ritate , in fide , in Castitate . 1. Ti-  
moth. 4. Ut verbum Parochi ,  
quod ex suggestu declamat , fru-  
tiferum sit & efficax , exemplo  
id confirmare debet , non alieno , sed proprio & domestico :  
quia

quia ad amorem cœlestis Patriæ homines magis incitantur exemplis quàm prædicamentis, & nihil est, quod alios magis ad pietatem & DEI cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & Exemplum, qui se divino Ministerio dedicarunt: cùm enim à rebus sacerdotali altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex ijsque sumunt, quod imitentur, ut inquit Tridentinum Sess. 22. de reform. cap. 1. Ubi notandum, quod vita Sacerdotum exemplaris dicatur instruere assiduè: qui enim linguâ tantum docet, instruit solum, quando os ad docendum aperit: qui verò bonæ conversationis exemplum præfert,

fert, tacente etiam lingua assidue  
& sine intermissione illos erudit,  
in quorum oculos vita illius in-  
currit. Habet verò vita exempla-  
ris Parochi triplicem effectum:  
Primus est, quod demonstret esse  
possibile, atq; etiam facilè practi-  
cabile id, quod à Parocco pro Cō-  
cione dictum est, juxta illud S.  
Bernardi Serm. de S. Benedicto:  
*Sermo vivus & efficax exemplum*  
*operis est, plurimum faciens suasi-*  
*bile, quod monstratur factibile.* Et  
Theophila&t. in *Luc.* *Quando*  
*docens facit, quæ docet, allevat*  
*onera, exemploque suo consolatio-*  
*nem ad fert Discipulis: quando au-*  
*tem nihil horum facit, quæ docet,*  
*tunc quæ docet, gravia onera vi-*  
*dentur Discipulis.* Secundus ef-  
fectus

fectus boni exempli est , quod Parochus ille ostendat doctrinam à se traditam esse omnino ad evitanda inferni supplicia, & ad salutem consequendam necessariam. Si enim ipse quæ docuit , in se exprimere negligat , plures intra se ita ratiocinabuntur : Si vera essent & ita necessaria quæ dicit , sanè ipsem et melius ea observaret : Si fornicatio excluderet à regno Cœlorum , cur ipse domi suæ concubinam aleret ? Quare S. Hieronymus Nepotianum Clericum ita monet : *Non confundant opera tua sermonem tuum ; ne , cum in Ecclesia loqueris , tacitus quilibet respondeat : cur ergo hæc , quæ dicis , ipse non facis ? delicatus Magister*

G est ,

est, qui pleno ventre de jejunij disputat, accusare avaritiam & latro potest. Sacertotis Christi os, mens, manusque concordent; quia perdit authoritatem docendi, cuius sermo opere destituitur. Tertius bonæ conversationis effectus est; quod Parochus vitia liberè & sine rubore tam publicè quam privatim reprehendere audeat & multare: qua dicendi libertate destitutus est, qui vitam degit infamem: cum semper time re debeat, ne passim ipsi occinatur vulgaris illa cantilena: *Meditice cura te ipsum: in quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.* Rom. 2.

CA-

## CAPUT III.

### De Oratione.

**O**Rate pro invicem, ut salvermini. Jacob. 5. Inutilis & sine fructu existit omnis Parochi conatus & labor, nisi eum DEI benedictio & gratia præveniat ac sequatur: Nam neq; qui plantat est aliquid, neq; qui irrigat, sed qui incrementum dat D E U S. I. Cor. 3. Ut verò hanc DEI uberm benedictionem in laboribus suis experiatur, instanter & assiduè ipsi orandum est tum profice ipso, ut minister idoneus existat, tum etiam pro sibi commissis, ut ad fructum exinde

percipiendum sufficienter se disponant. Præivit in hoc nobis sanctissimo exemplo suo Princeps Pastorum Christus JESUS, quando pro salute suorum Patrem Cœlestem ita precatus est *Joan. 17. ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, ut sint unum. Pater sancte serva eos in nomine tuo. Pater quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam &c.* Oratione etiam inter alia media familiariter usus est S. Paulus in conversione Gentium, ut ipse fatetur *Rom. 1. cum ait: Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. & Coloss. 1. non cessamus pro vobis orantes*

tes & postulantes, ut adimpleamini agnitione voluntatis ejus. Notissima quoque est illa Oratio S. Francisci Xaverij: *Æterne rerum omnium effector DEUS &c.* Quam pro Ethnicorum & peccatorum conversione quotidie ad DEUM Patrem fudit, non sine maximo animarum fructu.

Orandum verò est imprimis Parocho, quando Cathedram est consensurus ad docendum populum, ut DEUS aperire dignetur corda Auditorum, sicut olim aperuit cor Lydiæ mulieris intendere his, quæ dicebantur à Paulo. *Act. 16. Secundo* quotiescunque Sacramentum aliquod administrabit, maximè autem

cum Pœnitentium confessiones excipiet , ut DEUS illis largiri velit cor contritum , & omnem noxam erubescientiam auferre , ipsique Parocho concedere Spiritum Consilij & discretionis, ad dirigendos pœnitentes in viam salutis. *Tertio* , quando accedit ad offerendum DEO incruentum Sacrificium : Hoc enim Parochianis certis temporibus applicandum esse , & in eo pro salute illorum orandum docet

Trident. *sess. 23. de reform. cap. I.*

\*\*

CA-



## CAPUT IV.

### *De Zelo animarum.*

**O**ptabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Rom. 9. Definitur zelus animarum : intensus justi DEUM verè amantis affectus , quo diligentissimè quærit honorem DEI ac proximorum salutem , & quidquid his duobus opponitur , fortiter constanterque repellit. Illius aëtus sunt , Primo vehe mens & ardentissimum votum , quô omnium quidem , maximè verò illorum , qui nobis coñissi sunt , salutem desideramus & ex

petimus. Secundo seria recogitatio, quibus modis ac vijs proximo in Spiritualibus prodesse possimus. Tertio actualis usus & applicatio mediorum excogitorum, qualia v. g. sunt Oratio, prædicatio, correctio, Sacrificatio &c. Quartò Gaudium de Spirituali suorum profectu, tristitia & dolor de illorum obstinaciâ, commiseratio sive compassio propter mentis cæcitatem, &c.

Oritur verò in nobis hic animalium & Divinæ gloriæ zelus imprimis ex consideratione pretij, nobilitatis & dignitatis animalium, utpote quæ ad imaginem SS. Trinitatis sunt creatæ. Christi pretiosissimo Sanguine redem-

redemptæ, & ad æternam felicitatem destinatæ. Quam animarum dignitatem ipse Unigenitus DEI Filius tanti fecit, ut non solùm triginta tribus annis per plurimos labores, ærumnas, persecutions & dolores illas in terris ardentissimè quæsiverit, & pro earum salute mortem ignominiosissimam eligere voluerit; Verùm etiam post suum in Cœlos ascensum per Apostolos in universum mundum dimisso, Sacramentorum institutionem, aliáque salutis media illis abundantissimè providere dignatus fuerit. Secundò nascitur hic zelus animarum in nobis, si consideremus quām gratum DEO & summè meritorium sit zelare sa-

G 5 lutem

ludem aliorum ; de quo S. Gregorius *Homil.* 12. in Ezechiel. Testatur his verbis : *Nullum omnipotenti DEO tale est Sacrificium, quale est zelus animarum.* Et sanctus Chrysostomus *Homil.* 25. in *Epist. ad Cor.* super illa verba : imitatores mei estote &c. *Hæc perfectæ Charitatis regula est, hic certissimus terminus, hoc supremum omnium cacumen, querere quæ communem omnium comprehendant utilitatem, quod ipse Paulus significans addit : Sicut & ego Christi : Nihil enim potest nos adeo imitatores Christi facere ut proximorum cura.* Tertio, oritur etiam zelus animarum ex amore, quo D E U M diligimus : Hic enim in nobis otiosus

sus esse non potest, sed *Charitas Christi urget nos.* 2. Cor. 5. Quare priusquam Christus Petro curā animarum actu committeret, tribus distinctis vicibus ex ipso interrogavit: *Petre, amas me plus his?* ac postea subjunxit: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.*  
*Quarto* oritur zelus animarum ex consideratione gaudij & exultationis inenarrabilis, quam olim percipiet Parochus, aspiciens fructum laborum suorum in horreo Cœlestis gloriæ & intuitens filios suos spirituales cum D E O regnantes, quos ipse per Evangelium genuit: tunc enim cum S. Paulo ad Philippens. 4. exclamare poterit: *Fratres mei charissimi & desideratissimi,*

gaudium meum & corona mea. Vos enim estis gloria nostra & gaudium. 1. Thessal. 2. Videtur hanc Parochorum spiritualem exultationem in Spiritu prævidisse David Psal. 125. in illis verbis : qui seminant in lachrymis , in exultatione metent. eentes ibant & flebant mittentes semina sua ; venientes autem venient cum exultatione , portantes manipulos suos. Quintò denique excitare potest hunc animarum zelum in nobis illa promissio Jacob. 5. qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ , salvabit animam ejus à morte , & operiet multitudinem peccatorum : præterquam enim , quod causa existat salutis peccatoris , meretur sibi ipsi Parochus  
( si

( si forte in statu peccati mortalis constitutus esset ) gratiam saltem de congruo ad pœnitendum. Unde S. Damascenus ex dictis verbis Apostoli colligit , modum abolendi peccata propria esse studium abolendi aliena.

---

## CAPUT V.

### *De Studijs Literarum.*

**A**ttende lectioni , exhortationi & doctrinae . 1. Timoth. 4. Statuit Tridentinum Sess. 23. de reform. c. 14. ut in presbyteros ordinentur solùm illi , qui ad populum docendum ea , quæ scire omni-

omnibus necessarium est ad salutem , ac administranda Sacra-  
menta , diligent exame p̄cedente  
idonei comprobantur. Et Sess. 24.  
de reform. cap. 18. jubet severis-  
simè examinari eos, qui ad vacā-  
tes parochias sunt promoven-  
di , & quidem ab examinatoribus  
non paucioribus quàm tribus , qui  
sunt Doctores aut Licentiati in  
Theologia aut Jure Canonico , &  
qui omnes juraverint ad sancta  
DEI Evangelia , se quacunque hu-  
manā affectione postpositā fideliter  
munus suum executuros. Et me-  
ritò quidem : est enim Parochus  
in Cathedra Magister & Doctor  
ignorantium , juxta illud Ma-  
lach. 2. labia Sacerdotis custodiunt  
scientiam , & legem requirent ex  
ore

ore ejus. Est in Confessionali *Medicus ægrotantium*, qui discernere debet inter lepram & lepram, inter peccata gravia & levia, eisque convenientia remedia adhibere. Est in reliquis Sacramentis *Dispensator*; in quo officio ut fidelis inveniatur, nosse debet qualiter & quibus ea dispensanda, ne sanctum projiciat canibus. Est præterea *Pastor*, qui oves suas contra hæreticorum rabiem & fraudem tueri debet, atque eos, qui contradicunt arguere. Unde S. Hieron. in dicta verba Malachiæ inquit: *Idcirco in Sacerdotis pectore Rationale est, & in Rationali doctrina & veritas ponitur, ut discamus Sacerdotem doctum esse debere, & præconem*

Domi-

Dominicae veritatis, potentem exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Et S. Augustinus Epist. 59. ad Paulinum in illa verba Ephes. 4. v. 12. alios autem Pastores & Doctores : Cum prædixisset Pastores, subjunxit Doctores, ut intelligerent Pastores, ad officium suum pertinere doctrinam. Quomodo enim excusari posset inscitia in eo , qui se Magistrum infantium & insipientium profitetur ? ut inquit S. Bernardus in decl. super Ecce nos, ignorans utiq; ignorabitur imo & multos ignorare faciet & ignorari.

Ut verò Parochus thesaurum scientiarum sibi in officio suo necessiarum comparet , duo im-

imprimis observare debet: Primum est , ut immoderatum sciendi appetitum circa illa cohibeat , quæ ad finem & munus ejus pastorale nihil conducunt , neq; animum studijs impertinentibus intendat : Cum enim regimen animarum sit ars artium , & non simplicem tantum , sed multifariam requirat peritiam , fieri haud podes t , ut in necessarijs scientijs sufficienter se perficiat , qui in curiosis & non necessarijs suum tempus collocat . Alterum requisitum est , ut in acquirendis scientijs muneris suo necessarijs laborem & studium non refugiat , sed impigrum se & in defessum exhibeat , maximè cum in floridis  
ado-

adolescentiæ annis adhuc constitutus ingenij & memoriae viribus pollet, neque quotidianis rei familiaris curis aut alijs functionibus adhuc distrahitur & retardatur. Quamvis etiam in actuali cura jam constitutus à studijs litterarum remittere nullo modo debeat, sed potius eo majori fervore & industria illis se applicare, quò magis illa sibi necessaria esse paulatim agnoverit: sicut expressè Celsissimus & Reverendissimus Noster in sæpiissimè jam memorato suo Decreto his verbis præscribit: *Qui autem Sacro presbyteratus Ordine jam obtento in actualis animarum Curâ constituti fuerint, ita se sive cum Capellanis, si quos habuerint,* sive

sive soli in Theologia Morali & stu-  
dio Controversiarum fidei solerter  
exerceant, ut in Urbem nostram  
vocati, sicut & in Capitulis Rura-  
libus coram Commissariis nostris ad  
functiones ejusmodi deputandis  
cum honore subsistant.

---

## CAPUT VI.

### De Prudentia Parochi.

**E**stote ergo prudentes sicut ser-  
pentes, & simplices sicut Co-  
lumbæ. Matth. 10. Dabat Chri-  
stus hoc monitum suis Discipu-  
lis, quando eos ad curam ani-  
marum disponebat, significans  
quantopere necessaria sit omni-  
bus

bus prudentiæ virtus, qui id munus in se suscipere cogitant. Definitur autem Prudentia : Virtus consulens , judicans & imperans , quid in singulis circumstantijs fieri debeat pro fine obtinendo. Requiritur imprimis in Curatore animarum in *docendo* , ut deliberet , quæ materia sit auditoribus suis necessariâ , utilis & accommodata. In *Confessionali* , ut judicet , quæ circa pœnitentem formanda sint interrogatoria , an severitas vel mansuetudo adhibenda , quæ instructio necessaria &c. In *corrigendo* , ut circumspiciat , coram quibus , quando , quâ verborum formâ utiliter possit & debeat fieri correctio. In *conversando* , ut

ut noverit, qualiter cum summis, infimis, doctis, rudibus, sa-  
nis & infirmis sit agendum. Ver-  
bo, prudentia debet esse modera-  
trix & auriga omnium actionum  
Parochi, quâ solâ sublatâ etiam  
virtutes illius non manebunt vir-  
tutes, sed degenerabunt in vitia:  
videlicet sicut sal est condimen-  
tum ciborum, & absq; eo omnis  
mensa est insipida, ita sine pru-  
dentiâ & discretione omnes Pa-  
rochi actiones sunt præcipites,  
insipidæ, inconsideratæ, & com-  
muniter scandalosæ.

Porrò medium hanc Pruden-  
tiæ virtutem acquirendi pri-  
mum est mortificatio passionum  
appetitus concupiscibilis & ira-  
scibi-

scibilis : hæ enim oculum rectæ rationis potissimum excæcare solent & efficere , ut homo præcipitanter & sine consilio agat . Secundum est Examen & discussio propriarum actionum , negotiorum , casuum , successuum &c. quam discussionem qui negligit , post plures annos æq; incautus ac antea existet . Tertium est reflexio ad mores & actiones aliorum hominum & ad successus rerum eorundem : *Felix enim quem faciunt aliena pericula cunctum.* Quartum est petitiō consilij virorum prudentum . Quintum , consideratio propriæ indolis , vitium , inclinationis & complexionis naturalis . Sextum deniq; est matura præmeditatio eorum ,

eorum, quæ ex negotijs nostris sequi possint; ut ita nihil nobis eveniat improvisum: stultum est enim postea dicere: *non putarâm*; prudens autem omnia prius considerat.

---

## CAPUT VII.

### *De Prædicatione Verbi Divini.*

#### §. I.

##### *De obligatione ad prædicandum, & fine prædicationis.*

**O**bligationem Parochi ad prædicandum Verbū DEI proponit Tridentinum *Sess. 5.* de reforin. c. 5. his verbis: *Plebani,*  
*& quis-*

& quicunque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesiæ quocunque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis via, quæ eos declinare & virtutes quas sectari oporteat: Ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Finem vero prædicationis ostendit idem Concilium in illis verbis ultimis, ut videlicet Auditores pœnam æternam evadere & cœlestem gloriam

riam consequi valeant sive ut peccatores vitam habeant, & justi abundantius habeant. Quem prædicationis finem potissimum intendere debet Ecclesiastes, Primo cum materiam Concionis eligit & disponit; ne forte inutilia, vel auditorum captui minus accommodata in medium profert. Secundo, quando Cathedram est consensurus; ut vanæ gloriæ cupiditate se abripi non sinat, neque Auditorum applausum pro scopo eligat. Commendat eundem in prædicando finem Concionatoribus suarum diœcserum Celsissimus ac Reverendissimus N. in Decreto Bambergæ edito 6. Aprilis 1679. admonens eos, ut ab inutilibus

H quæ-

*questionibus, (in quib⁹ aliqui mirè sibi complacent, & imperitæ plebis applausum venari solent) jocis, historijs apocryphis, prædicationibus, Calumnijs, sermonibusque seditionis abstineant; nec facta miracula, aut falsas indulgencias predicent; sed vitia, ea præsertim, quæ frequentiora, vel magis nociva perspexerint graviter reprehendant &c.*

### §. II.

#### *De Partibus essentialibus Concionis.*

**P**Artes, sicut in alijs compositionibus physicis ac Moralibus, ita & in Concione sunt duplices, *Essentiales scilicet & Integrantes*; & ex illis iterum alia pars est

*Mate-*

Materia, alia Forma. Quoad Materiam Concionis, circa eam selectu opus est & reflexione ad indigentiam & capacitatem Auditorum, ut non quævis doctrina indifferenter illis obtrudatur. Ita enim Apostolum fecisse legimus apud Corinthios, ut ipse de se testatur 1. Corinth. 3. cum ait: & ego fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. Tridentinum supra citatum præscribit, ut auditores doceantur, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ut annuntiantur eis virtua quæ declinare, ac virtutes quas sectari oporteat.

H 2      Idem

Idem tradit Catechismus Parochorum in proæmio , monens , ut Concionis materia semper reducatur ad Caput aliquod doctrinæ Christianæ , puta ad articulum fidei in Symbolo , vel Præceptum aliquod Decalogi , petitionem Orationis Dominicæ , aut ad unum ex septem Sacramentis. *Forma* Concionis Essentialis est , ut materia captui Auditorum sit accommodata , eoque modo disposita & proposta , quo ab illis clare percipi , firmiter retineri , & facile in proxim redigi possit. In quo autem hæc forma rudium captui , memoriæ & praxi accommodata consistat , pauci convenient , sed sua cuique pulchra videtur.

Meo

Meo quidem judicio cùm materia Concionum sit præcipuè duplex , *Fidei* , scilicet & *Morum* , non incongruè duplex etiam statuitur forma & dispositio. Et quidem cùm ratione festi solemnis , vel etiam occasione textūs Evangelici tractandum assumitur aliquod fidei nostræ Mysterium , materia in duas partes dividi & ita disponi potest , ut prima illius pars explicet Veritatem Mysterij , quatenus ea scitu necessaria vel utilis est , adductis etiam , si haberi possint , ex Vet. Test. Prophetijs & figuris. Secunda verò pars proponat doctrinam aliquam *Morum* ex Fidei Mysterio deducentam , eamq; probet argumentis modo infrà tradendo.

H 3

Quan-

Quando verò tractanda venit  
materia *Moralis*, & de virtute ali-  
quā vel vitio dicendum, secunda  
est similiter Concio in duas par-  
tes, quarum prima contineat  
definitionem, actus & motiva  
quare scilicet ea Virtus exercen-  
da, vel vitium fugiendum. Se-  
cunda vero pars suggerat media  
& praxes virtutem illam exer-  
cendi, vel vitium declinandi.  
Ratio autem, cur hac in parte  
à consueta hujus temporis Con-  
cionatorum methodo recedam,  
& hunc simplicem dicendi mo-  
dum præferam, est hæc, quod  
illorum forma & dispositio fortè  
magis sit ad plausum & laudem  
Concionatoris, Hæc verò ma-  
gis serviat ad fructum & utilita-  
tem

tem Auditorum : fieri enim difficulter potest , ut hi Virtutem aliquam exerceant , vel vitium declinent , nisi eisdem constet , in quo propriè talis Virtus vel vitium consistat , quinam illius actus , & quibus medijs in particulari utendum , &c. Quare plerūmque illi Concionatores , qui virtutem aliquam in genere solum commendant , nec ad naturam illius actus , media & proxim descendunt , plus in auditoribus non efficiunt quam simplicem quandam illius virtutis complacentiam & velleitatem nunquam in effectum deducendam.

\* \*

## §. III.

*De Partibus Integrantibus  
Concionis.*

Partes Integrantes in Concio-  
ne sunt Quatuor, *Exordium*,  
*Propositio*, *Confirmatio*, & *Conclu-  
sio*; *Exordium* melius dicitur ex  
ipso Evangelio Dominicæ vel  
Festi, percurrendo potissima il-  
lius puncta, & tandem deve-  
niendo ad locum aliquem com-  
munem, qui in Concionis de-  
cursu tractandus assumitur: vi-  
detur enim hæc esse mens & in-  
tentio Ecclesiæ Catholicæ, ut  
Historia sancti Evangelij non  
prætereatur. *Exordium* sequitur  
*Propositio*, quæ clara esse debet  
& brevis, ut statim inde Audi-  
tores

tores intelligere possint , quid in qualibet Concionis parte sit tractandum. Partiri etiam debet Propositio Concionem in plura puncta , ut confusio evitetur , & tam Concionatoris quam Auditorum juvetur memoria. De Confirmatione jam supra dictum est , qua ratione illa utiliter tractari possit.

*Conclusio* fiat verbis abbreviatis & nervosis per anacephaleosin sive recapitulationem præcipuum argumentorum. Coronidem imponant tria vel quatuor verba , quæ fervorem spirant. Desinere ex abrupto gratiam subinde habet , si raro fiat & accommodatè. Debent vero

H 5

hæ

hæ partes inter se connecti & uniri, non tamen eo modo, quo scioli aliqui hoc tempore solent, qui ita latenter & furtivè quasi transeunt ab unâ parte Concionis ad aliam, ut nexus & transitio non nisi à doctioribus adverti possit. Verum subtilem hanc partium conjunctionem scrinarijs & sartoribus relinquendam esse judico : Concionator autem ita transfire debet ab una parte ad aliam , ut Auditores clarè intelligant, primam esse jam absolutam & secundam inchoari ; Cum alioquin difficulter distinguerem possemus, ad quid posteriora argumenta afferantur. Unde S. Salesius Concionator Celeberrimus præscribit in suâ epistolâ ,  
quam

quam Gallicè scripsit , trigesimâ,  
ut ante *Primum punctum Con-*  
*cionator utatur particula primo,*  
*& ante secundum secundo , vel:*  
*venio ad secundum : restat nunc*  
*pars secunda , &c.*

§. IV.

*De argumentorum qualitate  
& ordine.*

**Q**Uæ ad probandum adfe-  
runtur, sint clara, efficacia,  
& plana ; non autem violenta ,  
distorta, contra communem Ec-  
clesiæ sensum explicata, & crini-  
bus quasi adducta , qualia hoc  
tempore afferre solent ex Con-  
cionatoribus nonnulli , qui cla-  
ras & perspicuas S. Scripturæ  
probationes quasi fastidientes

H 6 quæ-

quærunt nescio quas ingenij  
subtilitates, quibus nulla firmi-  
tas, veritas, certitudo, imò sæ-  
pe neque probabilitas subest,  
unde etiam nec fidem merentur  
apud prudentes, nec aliquem  
pietatis motum excitant. Ca-  
vendum quoque est, ne textus  
Scripturæ vel Patrum sint justò  
longiores, & ne in adductione  
Exemplorum referantur Cir-  
cumstantiæ ad rei præsentis pro-  
bationem nihil conferentes, ex  
quarum recitatione vis argumē-  
ti enervetur, & fervor Concio-  
natoris paulatim deficiat. Ne-  
que etiam accumulandæ sunt  
Scripturæ vel Patrum sententiæ,  
sed sufficit una vel altera ad cap-  
tum Auditorum bene explicata.

Pe-

Petenda autem sunt argumenta  
Potissimum ex S. Scripturâ, Pa-  
tribus, & Concilijs Oecumenicis,  
quia hi fontes continent aquam  
veritatis limpидissimam, & vim  
habent ad persuadendum pru-  
denti Auditori: quæ enim desu-  
muntur ex incertæ veritatis hi-  
storijs, poëtarum fabulis, vel  
obscuris Philosophorum Theo-  
logorumque concertationibus,  
doctrinam quidem ostendunt,  
verum quia incerta sunt, astuti  
Auditoris animum nec movent,  
nec satiant. Porro in collocatio-  
ne argumentorum servandus est  
hic ordo, ut primum locum te-  
neat aliquis textus S. Scripturæ,  
alterum sententia alicujus S. Pa-  
tris vel Concilij, Tertium Ratio,

Quar-

Quartum similitudo, Quintum  
sibi vendicent exempla sacra:  
Dico *Sacra*: quia profana non  
debent assumi ut probent, sed  
tantum, ut per modum similitu-  
dinis rem declarent. Si adducen-  
da sint motiva, ponatur primo  
loco *honestas*, postea *utilitas*, &  
ultimo loco *necessitas*: fortiora  
enim argumenta semper tra-  
ctanda sunt ultimò, ut firmius  
hæreant, & aculeum post se re-  
linquant. Libros Concionato-  
ris quod atinet, præter S. Scrip-  
turam (quam *librum Sacerdotal-lem* S. Ambrosius lib. 3. de fide  
cap. 7. nominat, & S. Paulus 2.  
*Timoth.* 5. utilem prædicat *ad*  
*docendum, ad arguendum, ad cor-*  
*ripiendum, ad erudiendum in ju-*  
*stitia*

stitia ) & præter Concilium Tridentinum utilissimus liber est Catechismus Parochorum , maximè quando explicanda veniunt Catechetica. Cum verò tractanda est Materia *Morum* , valde inservit panarium P. Bussæi Soc. JESU. Nec non Ariæ Montani thesaurus inexhaustus bonorum, &c.

§. V.

*De Pronuntiatione, & reliquis  
ad Concionem spectantibus.*

**U**T prædicator moveat , loqui debet ex affectu : Concio enim sine affectibus languet , & effectum non habet. Affectus autem non consistit in eo , quod verba sint inflammata clamoribus

bus & vociferationibus incondi-  
tis , aut gestibus insultis , sed sua-  
vi affectione internâ , & magis  
procedant ex corde quâm ex ore:  
**C**or enim ad cor loquitur, lingua  
autem ad solas aures. Exordium  
non habeat affectus saltem ve-  
hementes. In ea parte , quæ do-  
cet , affectus etiam sint rari ; fre-  
quentiores verò in alterâ , quæ  
causas continet & motiva. Con-  
clusio deniq; tota sit affectuosa.

In pronuntiando caveat Præ-  
dicator , ne in verbis reperiendis hæreat , sed potius copiam il-  
lorum & apparatus acquirat. Barbarè non loquatur , sed idio-  
mate utatur politiorum hominum. Vocem affectibus & exi-  
gen-

gentiæ materiæ accommodet. Non eodem semper utatur tono quasi cantillans , sed vocem habeat in Exordio sedatam , in docendo gravem , in movendo excitatam. Verba etiam non præcipitet , sed eo modo producat , ut ab Auditoribus singula distinetè percipi , intelligi & retineri possint. In explicatione vitiorum terminis utatur honestis , qui rem ita circumscribant , ut pusillis non præbeatur ansa ruinæ. Denique verba non sint affectata , nec ita secundùm artificium transposita , ut sensum obscurent.

Circa gestus efformandos assignari solent hæ regulæ , ut iij solūm

solum fiant oculis & manibus ; non autem naribus , supercilijs , humeris aut pedibus. Manus supra oculos non extollantur. Brachia immoderate non proiec-  
tiantur , quasi concionator esset digladiaturus. Cathedram manus non percutiant , nec complo-  
sione strepitum excitent. Si-  
nistra raro sit in motu , tunc scilicet solum , cum ad aliquid ex-  
primendum dextra non sufficit , ut quando significanda est uni-  
versitas , vel aliquid secundum in duas partes , negandum &c. Præterea gestus sint liberi , non affectati , coacti , pedibus vel mensuris ligati. Sint nobiles , non rustici , quales habent illi , qui Cathedræ quasi fulcro inni-  
tun-

tuntur. Sint *generosi*, exclusâ puerili timiditate aliquorum, qui quasi Discipuli ad Magistros loquuntur. Sint *fortes*, non mortui & languidi. Sint *Sancti*, non venustuli, aulici vel politici. Sint denique *graves & maturi*, non leviculi vel mimici.

Postremò per magni etiam interest, ut Concionator memoriâ firmiter teneat illa, quæ pro suggestu dicere constituit, ne metus errandi aut nimia sollicitudo cogitandi libertatem impedit in dicendo. Juvatur autem memoria, si Concio non scribatur uno filo & contextu sed in partes & puncta ita distinguitur in charta, ut quodlibet punctum in-

incipiat in principio marginis: Si textus & formalia verba Scripturæ vel Patrum notentur subductâ lineolâ: si in margine ponantur citationes Bibliorum, Patrum, & Conciliorum: Si Concilio non integrè desumatur ex libris prout jacet, sed de suo etiam Parochus aliquid addat, & argumenta ex Authoribus accepta per meditationem præviam faciat esse sua & propria: Si priusquam cubitum concedat, præcipua Concionis puncta relegat: Si denique in loco ab hominibus remoto conceptam Concionem à capite usque ad calcem declamat cum affectibus & gestibus, quasi jam coram suo auditorio in Cathedra peroraret.

§. VI. *De*

§. V I.

*De modo tradendi Doctrinam  
Christianam pro Concione.*

**D**Ixi suprà, Patres Tridentinos in suo Catechismo præscribere ut materia concionis desumatur ex uno quatuor illorum capitum Catechismi, videlicet ex Symbolo Fidei, Oratione Dominicâ, Sacramentis, vel Decalogo, & ita necessarium esse mecum judicabunt, quotquot ruri in cura animarum cum aliqua sollicitudine versati sunt: Pauci enim ex adultis periuntur, qui norunt ea, quæ scire ad salutem omnibus est necessarium; plures, qui ad prima fidei rudimenta attoniti hærent,

rent, idque defectu educationis. Tales quomodo instruet parochus? ad Catechesin ordinariam non veniunt, in Confessionali sæpè tantum otij non suppetit. Unica ergò eos docendi ratio superesse videtur, quam tradiderunt dicti Patres, videlicet ut Parochus sepositis inter prædicandum subtilioribus conceptibus articulos Fidei Catholice, Orationem Dominicam, Decalogi præcepta, & Sacramentorum effectus, modumq; ea ritè suscipiendo per decursum anni eâ sermonis facilitate illis explanet, ut, quantum ad salutem satis est, exinde haurire possint. Ne verò quis in reperiundis ejusmodi conceptibus labo-

laboret, non ingratum fore ju-  
dicavi, si aliquod illorum Para-  
digma hic apponem.



## CONCEPTUS CA- TECHETICI.

*Ex Capite Primo Cate-  
chismi.*

### DE FIDE.

**D**ec<sup>o</sup> Sig<sup>n</sup>o sanctæ Crucis agi  
spotest in festo SS. Trini-  
tatis, occasione desumptā  
ex illo textu Matth. 28. In  
Nomine Patris, & Filij &  
Spiritus sancti.  
Fide in genere, feriâ secundâ  
Pa-

Paschatis, text. *O stulti, & tardi corde ad credendum.*  
*Luc. 24.*

Articulo primo Symboli Apostolici , & maximè de fine hominis ad quem creatus est, sicut & de fine aliarum creaturarum, Dominicâ quartâ post Pascha text. *Vado ad eum qui misit me.* *Joan. 16.*

De Creatione Angelorum , & maximè de officio , curâ, præsentia ac cultu Angeli Custodis , Festo S. Archangeli Michaëlis. text. *Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem Patris mei.* *Matth. 18.*

Articulo secundo & tertio , in

in festo Nativitatis Domini.  
text. *Verbum caro factum est & habitavit in nobis. Joan. 1.*

Articulo quarto , Die para-sceves.

Articulo quinto , Dominicâ Resurrectionis. Ubi simili-  
liter articulus undecimus explicari potest.

De Articulo sexto, Feste Ascensionis Domini.

Articulo septimo , Dominicâ primâ Adventûs.

Articulo octavo , Feste Pen-tecostes.

Articulo nono,Dominicâ se-cundâ post Pascha. text.  
*Erit unum ovile & unus Pastor. Joan. 10.*

{ Articulo decimo, Dominicâ primâ post Pascha. text.

*Accipite Spiritum sanctum:  
Quorum remiseritis pecca-  
ta, remittuntur eis. Joan. 20.*

De{ Articulo undecimo, in Festo Paschatis ut suprà.

Articulo duodecimo, Dominicâ secundâ Quadragesimæ text. *Bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula. Matth. 17.*

### Ex Capite Secundo.

#### DE VERITATE SPEI.

De{ Hac virtute & vitijs opposi-  
tis agi potest Dominicâ quintâ post Pascha. text.  
*Si quid petieritis Patrem in  
nomi-*

{ nomine meo, dabit vobis  
Joan. 16.

De Oratione in genere, Feriâ se-  
cundâ Rogationum.

Oratione Dominica , Feria  
tertia & quarta Rogatio-  
num.

### *Ex Capite Tertio.*

#### DE CHARITATE.

De Observatione Præceptorum  
DEI & Ecclesiæ Dominicâ septimâ post Penteco-  
sten. text. *Non omnis, qui  
dicit mihi Domine, Domine,  
iutrabit in Regnum cœlo-  
rum: sed qui facit volunta-  
tem Patris mei. Matth. 7.*

De Charitate speciali erga  
DEUM, Dominicâ deci-

mâ septimâ post Pentecosten. text. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde &c.* Matth. 22.

Primo præcepto, sive de virtute Religionis, & vitijs illi oppositis, Dominicâ Primâ Quadragesimæ : *Dominum DEUM tuum adorabis.* Matth. 4.

De Secundo Præcepto, Festo Circumcisionis Domini.

Tertio Præcepto, Dominicâ decimâ sextâ post Pentecosten. text. *Si licet Sabba-tho curare.* Luc. 14.

Quarto Præcepto, sive Officio Liberorum respectu parentum, & vicissim, Dominicâ primâ post Epiphâ-

phaniam. text. *Erat subdi-  
tus illis.*

Officio Servorum erga He-  
ros & Herorum erga Ser-  
vos, Dominicâ tertia post  
Epiphaniam. text. *Do-  
mine puer meus jacet Do-  
mi paralyticus.* Matth. 8.  
*vel Dico huic: vade,* &  
*vadit;* & alij, *veni & ve-*  
*nit,* & servo meo, *fac hoc*  
& facit.

De

De Quinto Præcepto , sive.  
Concordiâ & pace, Feriâ ter-  
tiâ paschatis. text. *Pax vo-  
bis ego sum. Nolite timere.*  
*Luc. 24.*

Amore proximi & vitio in-  
vidiæ opposito, Domini-  
câ duodecimâ post pen-

I 3 teco-

tecosten text. *Diliges Domum DEU M tuum &c.*  
*Et proximum sicut te ipsum.*  
*Luc. 10.*

Irà & vindictâ, Dominicâ vigesimâ primâ post Pentecosten. text. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis. &c.* *Matth. 18.*

De Sexto Præcepto & nono, Dominicâ secundâ post Pentecosten. text. *Uxorem duxi, & ideo non possum venire.* *Luc. 14.*

Septimo & decimo Præcepto, Dominicâ vigesimâ secundâ post Pentecosten. text. *Reddite quæ sunt Cæsar. Cæsari.* *Matth. 22.*

Octavo Præcepto, sive

De

Detractio[n]e, Dominica octava post Pentecosten text.  
*Diffamatus est apud illum &c. Luc. 16.*

De Curiositate indaganda aliorum vita, suspicione, & judicio temerario, Festo S. Joannis Evangelistæ. text. *Quid ad te? Joan. 21.*  
Mendacio & falso testimonio, Dominica quinta Quadragesimæ. text. *Si dixerim, quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Joā. 8.*

*Ex Capite Quarto.*

DE SACRAMENTIS.

De Baptismo, Dominica undecima post Pentecosten

text. *Ephpheta*, quod est adaperire. *Marc.* 7.

Pœnitentia Dominica Tertia Quadragesimæ text.  
*Erat ejiciens demonium & illud erat mutum. Luc.* 11.

Eucharistia, Dominica quarta Quatradesimæ. text.  
*Accepit ergo JESUS panes;*  
*& cum gratias egisset distribuit. Joan.* 6.

Extrema unctione, Dominica vigesima post Pentecosten. text. *Domine descende, priusquam moriatur filius meus. Joan.* 4.

Matrimonio, Dominica secunda post Epiphaniam. text. *Nuptiae factæ sunt in Cana Galilææ. Joan.* 2.

*Ex*

## Ex Capite Quinto.

DE

### JUSTITIA CHRISTIANA.

(De Exercitio Bonorum ope-

rum , Dominica infra  
octavam Nativitatis. text.

*Jejunijs & obsecrationibus  
serviens die ac nocte. Luc. 2.*

Des Operibus misericordiæ, Do-  
minica sexta post Pente-  
costen. text. *Misereor su-  
per turbam. Marc. 8.*

Bona intentione operibus  
præfigenda , Dominica  
quarta post Pentecosten ,  
& de statu gratiæ ad me-  
rendum necessario. text.

*Per totam noctem laboran-*

I 5 tes

*tes nihil cepimus, in verbo  
autem tuo laxabo rete.* Lu-  
cæ. 5.

De Peccato mortali, Do-  
minica decima Octava  
post Pentecosten. text.  
*Confide fili, remittuntur ti-  
bi peccata tua.* Matth. 9.

Peccato veniali, Dominica  
De sexta post Epiphaniam.  
text. *Minimum quidem est  
omnibus seminibus &c.*  
Matth. 13.

Peccatis in cælum claman-  
tibus, Dominica decima  
quinta post Pentecosten.  
text. *Et hæc vidua erat*  
Luc. 7.

Peccatis in Spiritum san-  
ctum, Festo S. Stephani.  
text.

text. *Dura cervice & in-  
circumcisiss cordibus & au-  
ribus; vos semper Spiritui  
sancto resistitis.* Actor. 7.

Peccatis alienis, Dominica  
sexta post Pascha. text.  
*Hæc locutus sum vobis, ut  
non scandalizemini.* Joā. 16.

De Peccatis Capitalibus, sive  
Superbia , Dominica tertia  
Adventūs. text. *Tu quis  
es?* Joan. 1.

Avaritia , Dominica decima  
quarta post Pentecosten.  
text. *Non potestis DEO ser-  
vire & Mammonæ.* Matth. 6.

Gula,Dominica quinquage-  
sima , text. *Cæcus quidam  
sedebat secns viam.* Luc. 18.

De Acedia , Dominica Sexagesima. text. *Quid hic statis totâ die otiosi? Matth. 20.*

*Reliqua comprehenduntur in Præceptis Decalogi.*

**E**N modum, quo præcipua Doctrinæ Christianæ Capi- ta pro suggestu tractari, & rudi populo explanari non difficul- ter possunt, maximè si Parochus in eorum explanatione & dedu- ctione utatur Catechismo Ro- mano ad hunc finem ex Decreto Concilij Tridentini & jussu Pij V. Pontificis Maximi edito. Nec mihi quis opponat, si præfatos conceptus primo anno absolvero, quid deinde sequentibus

an-

annis? Dico enim illos singulis annis resumi non solum posse à Parocho, sed etiam debere, non tamen eâdem methodo & ratione, sed diversâ, & alijs argumentis, sicut ejusdem speciei cibos sæpius in mensa videmus, alio tamen & diverso semper modo paratos: Si enim in quilibet benè ordinatâ communitate Leges & Statuta eadem singulis annis, imò ( ut in multis locis observatur ) singulis anni quadrantibus prælegantur: Si in monasterijs, ubi disciplina viget, regulæ & Constitutiones singulis mensibus semel publicè repetantur, quidni eadem Doctrinæ Christianæ capita omnibus ad salutem scitu adeò necessaria

faria semel in quolibet anno re-sumere coram indocili vulgo li-  
ceret ? *Hæc frequenter dicere non  
cessamus*, inquit S. Chrysosto-  
mus Hom. 66. in Joan. *Quoniam  
qui hodiè non audiunt, cras au-  
dient; & qui neque cras, perendie,  
quod si qui impersuasibiles sunt, nos  
tamen non judicabimur, nostrum  
enim officium implevimus.*

---

## CAPUT VIII.

### *De Catechesi.*

#### §. I.

##### *De Materia & forma Cathe- chesis.*

**N**ECESSITATEM Catecheticae in-  
structionis declarat S. Pau-  
lus

lus Rom. 10. cum ait : *Omnis enim  
quicunq; invocaverit nomen Domi-  
ni salvus erit. Quomodo ergo invo-  
cabunt, in quem non crediderunt?  
aut quomodo credent ei, quem non  
audierunt? quomodo autē audient  
sine prædicante? ergo fides ex audi-  
tu, auditus autē per verbum Christi.*  
**U**t autem hæc instruētio rudium  
cum fructu succedat, aliqua  
sunt necessaria ex parte *Materiæ*.  
aliqua ex parte *Formæ* sive *dispo-  
sitionis*. Ex parte *Materiæ* requi-  
ritur primò, ut doctrina quæ  
traditur, sit verè Catholica, pu-  
ra, & ab omni errore defæcata.  
Secundò ut omissis impertinen-  
tibus quæstionibus eligatur ma-  
teria magis necessaria; ne tenel-  
læ & imbecilles parvolorum me-  
moriæ

moriæ obruantur potius, quam  
instruantur. Ex parte *formæ* si-  
militer duo requiruntur: Pri-  
mum est, ut lectiones tali ordi-  
ne disponantur & dividantur,  
quo intra decursum unius anni  
singula Catechismi capita expli-  
cari possint & absolvī. Quod  
quidem erit facillimum, si Ca-  
techista antea prævideat &  
computet, quot circiter dies  
Dominicos per annum huic ex-  
ercitio impendere possit, & qui-  
bus per nundinas, Encænia, fe-  
rias autumnales &c. impedia-  
tur, ut numerum Lectionum  
Catechetiarum restringere pos-  
sit, aut ampliare: Neque enim  
probo methodum illorum, qui  
Catechisum extendunt ad du-  
centas

centas vel plures lectiones, si-  
cut facit Nucleus Catecheticus,  
cum post finem unius anni vix  
amplius apud parvulos extet  
memoria eorum, quæ in prin-  
cipio illius sunt explicata. Alte-  
rum requisitum est ex parte *for-  
mæ*, ut Parochus in docendo  
adhibeat eum modum propo-  
nendi, & explicandi, qui cap-  
tui parvolorum magis est ac-  
commodatus partiendo doctri-  
nam in minutæ quæstiones,  
& utendo verbis valdè claris,  
modoque loquendi familiari, ut  
fiat quasi parvulus in  
medio eo-  
rum.

§. II. *Qui-*

## §. II.

*Quinam Catechizandi, & quo loco ac Tempore.*

**C**UM in Catechesi ex professo tractentur ea, quæ omnibus ad salutem sunt scitu necessaria, sequitur omnes & singulos à Parocho Catechizandos esse, qui nondum sufficientem necessariorum scientiam sunt adepti; sive adulti sint ætate, sive parvuli, quia tamen adultores persuaderi, aut etiam compelli difficulter possunt, ut Lectionem ordinariam frequentent, Parochi munus erit, tempus pomeridianum impendere Juventuti erudiendæ, Concionem verò matutinam ita ad

ad cuiusvis captum attemperare , ut etiam adulti ex illâ , quantum ad salutem satis est , haurire & retinere possint . Maxima difficultas est circa servos & ancillas , si ipsimet de suâ salute non sint solliciti : etenim si ad Catechesin compellantur , malunt sape ex Parochia abire , quam Lectionem catechisimi consuetam frequentare . Unicum & maximè efficax pro ejusmodi famulantibus esse remedium comperi , si Parochus inter Catechizandum se exhibeat humanum , illos non interroget , sed auscultare solum permittat , Lectionem etiam Catecheticaultra horam non extendat .


Porrò

Porrò tempus ordinariæ catechesis in Parochiali Ecclesiâ est dies Dominicus , & hora illius post meridiem prima. Quoad Ecclesias verò & pagos Filiales, quando juventus ob loci distan-  
tiam , inclemenciam aëris , vel  
alià de causa ad Ecclesiam Ma-  
tricem convenire nequit , offi-  
cium Parochi requirit , ut die-  
bus saltem festivis ad dicta loca  
excurrat , & Catechismum co-  
modo & dexteritate contra-  
hat , ut intra unius anni de-  
cursum omnia scitu necessaria  
Juventuti proponat , Maxi-  
mâ autem instantiâ erudien-  
di sunt parvuli tempore Qua-  
dragesimali in ijs , quæ ad dig-  
nam Sacramentorum Pœnitен-  
tiæ

tiæ & Eucharistiaæ susceptionem  
pertinent , idque non solùm in  
civitatibus & oppidis , verùm  
etiam in pagis & villis.

Locum denique quod con-  
cernit , tradendus est Catechis-  
mus ordinariè in Ecclesiâ ; Si ta-  
men frigus nimium esset , etiam  
in scholâ. In locis verò , ubi non  
est Ecclesia , eligi debet certa  
quædam , capax & honesta do-  
mus ut Parochus illius fre-  
quentatione infamari  
non possit.

\* \* \*



§. III. De

## §. III.

*De Ordine & divisione locorum in  
Catechesi.*

**U**T omnia ritè & secundùm ordinem fiant, dispositio locorum observanda est talis, quam honestas & necessitas requirit. Ac *primò* quidem separandi sunt pueri à puellis; & hæ à sinistris, illi verò à dextris collocandi. *Secundo* assignandus est cui libet certus suus & determinatus in scamno locus, quē invariabiliter teneat, nec citra consensum Catechistæ mutet. *Tertio* majo- res ultimo semper loco, & in scamnis posterioribus sunt collocandi, ut minores Catechistam videre, & loquentem comodius

in-

intelligere possint. Ne autem facilè quis abesse possit impunis cum scandalo aliorum , & propriæ salutis detrimento , Parochus habeat nomina omnium catechizandorum in tabellâ aliquâ descripta , atque ita in ordinem digesta , ut noverit , qui & quot sint in quolibet scamno , quis in primo , secundo , vel ultimo scamni loco &c. Deinde primum semper in quolibet scamno constituat reliquorum censorem , qui absentes observet. Quartò fidelem aliquem virum habeat , qui à Censoribus nomina absentium petat , & in dicta tabella annotet , ut finitâ Lectione eorum parentes vel heri citari possint & moneri.

§. IV. De

## §. I V.

*De Modo explicandi Catechismum,  
& Juventutem examinandi.*


**I**N explicando Parochus utatur modo loquendi familiari & verbis claris, seque parvolorum capacitati accommodare studeat, quantum salvo respectu fieri potest. Ut verò à singulis etiam tardioribus intelligi possit, domi prius indaget, quâ verborum formâ & proponendi methodo uti velit ad hoc illudve Mysterium aptè declarandum. Utile quoque erit interrogationes verbis claris & facilibus conceptas in charta vel libello annotare, ne vel necessarium aliquid memoriâ excidat, vel impertinens ali-

aliquid inter explicandum admisceatur, vel denique ne dicta in eo sensu non intelligantur quem ipse intendebat : Novi enim aliquoties interrogationes alioquin per se honestas & utiles ab Auditoribus ex verbis male intellectis in sensu turpissimo esse acceptas. Deinde eandem Lectionem jam semel explicata , priusquam ad examen procedat , binis vicibus resumat, *Primo* fusiùs , cum exemplis , similitudinibus , &c. *Secundo* brevissimè , respondendo solum ad interrogationes *ita vel non*. Debet autem Examen cum magnâ dexteritate & prudentiâ peragi : *primo* enim non sunt interrogandi majores , qui scilicet vigesimus

K                  mum

mum jam annum excesserunt,  
ne fortè confusi absterreantur,  
& planè deinceps emaneant. *Se-*  
*cundò* incipiendum est Examen  
à pueris illis , qui cæteris sunt  
capaciores, ut ex illorum respon-  
sis minores interim magis illu-  
minentur , antequam ordo re-  
spondendi eos contingat. *Tertiò*  
post pueros examinandæ sunt  
etiam puellæ, sed cum magnâ  
discretione & cautelâ , ne quis  
fortè adstantium in suspicionem  
venire possit affectûs alicujus  
non satis depurati: *Unde pro-*  
*cul abesse debent risus , joci ,*  
*oculorum obtutus , personarum*  
*acceptio , & similes levitates.*  
*Quarto* si quid à quopiam bene  
responsum fuerit, is commen-  
dan-

dandus, & in cœlum usque laudibus est extollendus: Dici enim vix potest, quantopere non solūm pueri, sed etiam illorum parentes delectentur & capiantur ejusmodi laudibus & encomijs. *Quinto* denique si quid ab aliquo minùs feliciter dictum fuerit, non propterea statim est reprehendendus; sed juvandus potius est, & verbis suavibus animandus, ne doctrinæ tam salutaris horrorem concipiat, vel pusillanimis factus eam deinceps omnino negligat.



## §. V.

*De Ordine, quo Lectio Catechetica  
tractanda.*

**P**Osteaquam Juventus ad Ecclesiam Parochialem die Dominico circa horam primam postmeridianam convenerit præmittenda est cantio aliqua Germanica tempori conveniens. Quâ finitâ Parochus ad medium templi procedens conversâ ad populum facie formet signum Crucis, & cum Juventute dicat Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum eâ ratione ut illum præorantem cæteri sequantur, eadem verba tardè & clarè pronunciantes.

Tertio

Tertiò factò iterum signo Crucis resumat Lectionem ante octiduum traditam & ex illâ Juventutem circa potissima examinet. Quartò tradat novam Lectionem , illamque ternis vici- bus exponat , Primò quantum erit necessarium, secundò fusius , tertio brevissimè ut supra diximus. Quintò ordiatur Examen modo superius tradito. Sextò procedens ad medium breviter resumat eandam Lectionem , eamque juventuti commendet. Septimò , erudiat & examinet eos parvulos , quibus lacte adhuc opus est , & ex Lectione ordinariâ nullum fructum colligere possunt , circa Mysteria Fidei faciliora & magis necessaria ,

qualia sunt v. g. de Unitate DEI,  
Trinitate Personarum, Passione,  
Morte , & Resurrectione Chri-  
sti &c. Octavò legat nomina ab-  
sentium per aliquem jam anno-  
tata. Nonò recitet cum Juventu-  
te Decalogum , Præcepta Eccle-  
siæ, septem Sacra menta , & qua-  
tuor hominis novissima , facto-  
que signo S. Crucis Cate-  
chesin claudat.

\* \*



CA-



## CAPUT IX.

### *De Administratione Sacramentorum.*

#### §. I.

*De his, quæ Parochum remotè disponunt ad dignam Sacramentorum administrationem.*

PRæter Jurisdictionem , quæ in Parocho supponitur, quinque insuper necessaria , ut remotè dispositus existat ad Sacramentorum administrationem. Primum est , ut scientiâ & doctrinâ sufficiente sit instructus circa materiam , formam , intentiōnem, cæterāq; requisita in cuius-

libet Sacramenti tūm dispensatione , tūm susceptione. Secundum ut Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum , uti & materias remotas Baptisimi & Extremæ Unctionis in Ecclesiâ suâ Parochiali sine intermissione asservet,& accuratè custodiat. Tertium ut juxta Præceptum Tridentini *Sess. 6.* de reform. *cap. 2.* personaliter in suâ Parochiâ resideat , neque unquam , quando solus est , à domo suâ Parochiali ita discedat , ut in casu necessitatis accersiri nequeat , nisi causâ absentiæ longioris ab Episcopo cognitâ & approbatâ idoneus Vicarius ab eodem sit substitutus. Quartum est , ut diu noctuque temperantiam & sobrietatem coieratem vel ad Sacramen-  
tum ve-  
ritati. Q  
ui perpetuo  
unicitatem D  
icitur , ea quae ab A  
lberto hinc fine  
quamvis et  
impuris co-  
neque con-  
indigne t  
ternæ ma-  
runt. Unde  
in peccatu-  
rum conser-  
vacione ad-  
ministra-  
debet nisi

brietatem colat , neque per ebrietatem vel largiorem potum se ad Sacra menta administranda ineptum vel minus habilem constituat. Quintum denique est , ut perpetuò se in Statu gratiæ & amicitiæ DEI conservare conetur , eaque remedia adhibeat , quæ ab Asceticis Auct oribus ad hunc finem præscribuntur : quamvis enim Sacra menta ab impuris coquinari non possint , neque eorum effectus impediri ; indignè tamen illa tractantes æternæ mortis reatum incur runt. Unde si Parochus forsitan in peccatum aliquod mortiferum consensisset , ad Sacra menti administrationem accedere non debet nisi prius corde contritus

K 5 fuerit :

fuerit : sed & si copiam Confessarij habeat , & temporis locique ratio ferat , confiteri quoque convenit.

### §. II.

*De his, quæ Parochum proximè disponunt ad Sacramentorum administrationem.*

**Q**UAMVIS Parochus Sacra-  
menta nec sano , nec in-  
fimo in particulari , offerre te-  
neatur extrà casum necessitatis  
& periculi in quo nisi monitus ea  
non susciperet : quando tamen  
hæc ab ipso petuntur , non so-  
lùm administrare debet petenti,  
sed etiam placidum , facilem &  
paratum se exhibere , quocun-  
que tempore ad illa admini-  
stran-

stranda evocetur. Neque unquam ipsi licet tergiversari , aut propter temporis importunitatem , vel negotium aliquod se excusare; multo minus decet pe- tentes durioribus verbis excipe- re , contra murmurare , vel vul- tum displicantis animi præsefer- re : eo quòd hæc Parochi moro- fitas sæpe timidores ita abster- rere soleat, ut Sacra menta petere vereantur etiam in casu , quo il- lis maximè sunt necessaria , at- que sic in apertum salutis suæ dis- crimen adducantur. Propter quam causam Rituale Roma- num tit. de Sacrament. in gene- re , omnino necessarium esse ju- dicat , ut Parochus aliquoties etiam in Cathedrâ suis Parochia-

K 6 nis

nis denunciet , se promptum pa-  
ratumque esse ad succurrendum  
omnibus & singulis , quacunque  
diei vel noctis horâ . Requirit  
quoquè hanc in administrandis  
Sacramentis proimptitudinem ,  
& erga quaslibet personas in-  
differentiam à Parochis suis Cel-  
lissimus ac Reverendissimus N.  
in suo decreto Bambergæ edito  
6. Aprilis 1679. cum ait : *Vocati*  
*autem ad excipiendam Confessio-*  
*nem , præsertim rusticorum , Ru-*  
*dium infirmorum , & pauperum ,*  
*prompti comparebunt , juxta vo-*  
*luntatem enixam Christi Redemp-*  
*toris nostri qui cùm pro omnibus*  
*mortuus sit , omnibus in actuali*  
*culpâ Constitutis , ac emundari ex*  
*corde querentibus , per Sacra men-*

*tum*

tum hoc Passionis & mortis suæ  
preium applicari desiderat , ani-  
mam ex alicujus desidia vel morâ  
culpabili perditam , de perditoris  
manibus repetiturus. Præterea ut  
Patochus administrationem Sa-  
cramentorum cum majori de-  
votione & tūm adstantium tūm  
fusciplientium ædificatione pera-  
gat , requiritur *Primo* ut Cære-  
monias , si temporis ratio per-  
mittat , antea in libro Rituali  
prævideat. *Secundo* ut pro se &  
fusciplientibus DEUM precetur.  
*Tertio* ut per præviam rei Sacræ ,  
quam operaturus est Meditatio-  
nem se ad pietatem & de-  
votionem exci-  
tet.

§ III. De


## §. III.

*De his , quæ Parocho sunt obser-  
vanda, dum actu Sacra-  
menta  
administrat.*

**R**equirit dignitas Sacramen-  
torum & Sanctitas , ut Pa-  
rochus in administratione sin-  
gulorum quovis tempore ac die  
sit indutus superpelliceo vel Al-  
bâ, ac desuper stolâ ejus coloris ,  
quem Sacramenti ritus exposcit ;  
nisi in pœnitentia necessitas ,  
locus vel occasio aliter tulerit.  
*Secundo* ut unum saltem mini-  
strum pium & honestum, habitu  
decenti indutum , & linguæ La-  
tinæ ( si fieri possit ) aliqualiter  
peritum adhibeat, qui ipsi oranti  
nomine totius Ecclesiæ respon-  
deat :

deat : Excipitur tamen Sacra-  
mentum Pœnitentiæ, quod pro-  
pter Secretum Confessionis a-  
lium Ministrum præter Sacer-  
dotem non admittit. *Tertio* ut  
omnia Sacraenta ( exceptâ ite-  
rum pœnitentiâ ) cum lumine  
dispenset, ita quidem, ut in di-  
stributione Eucharistiæ præter  
lumen lampadis ante Taberna-  
culum perpetuò ardentis insu-  
per unus & alter Cereus accen-  
sus colluceat. *Quarto*, ut vestes,  
linteamina, vasa, & alia quæ ad-  
hiberi solent, sint integra, pura,  
nitida & munda. *Quinto* ut  
Cæremoniæ omnes & singulæ  
in Libro Rituali præscriptæ ob-  
serventur quam exætissimè,  
nullæque impertinentes addan-  
tur,

tur, vel præceptæ intermittantur. *Sextò* ut Orationes ex libro recitentur attentè, devotè, distinctè & clarâ voce. *Septimò* denique ut post peractam cuiuslibet Sacramenti administracionem Parochus se reflectat & indaget, num in aliquo errorem admiserit, quis ille, quæ ejus causa, & quomodo impostum evitari possit.



CA-

## CAPUT X.

### *De cura ovium scabiosarum.*

#### §. I.

*De Peccatoribus magis noxijs  
Christianæ Reipublicæ.*

**O**fficium boni Pastoris exigit, ut in peccatores intra suam Parochiam degentes inquirat, & vultum pecoris sui agnoscat: quæ enim Pastori superest excusatio, si lupus oves comedat, & Pastor ignoret? Sunt autem præcipue quatuor hominum imprimis noxiorum genera, circa quos singulari studio

dio invigilandum est Parocho ,  
ne hi pestem aliquam & morum  
corruptelam in Parochiam suam  
introducant. Primum genus est  
eorum , qui artibus supersticio-  
sis & magicis infames existunt ,  
quales non raro sunt custodes  
pecorum , fabri ferrarij , aniculæ ,  
& alij qui vel ad morbos in ho-  
minibus & animalibus sanandos  
varias usurpant superstitionum  
species ; vel jaſtant ſe cogno-  
ſcere futura & occulta , v. g. quis  
furtum in domo perpetraverit ,  
quò res ablata devenerit , quis ſit  
author morbi , damni dati &c.

Quos omnes Parochus vel ad  
meliorem frugem redire , vel ex  
ſuâ Parochiâ diſcedere jubebit ,  
in-

invocato etiam , si opus fuerit ,  
brachio sacerdotali : Reliquis vero  
suis parochianis severè interdi-  
cet , ne vel hos , vel etiam alios  
extra Parochiam habitantes post  
hac accedant.

Alterum genus est Hæretico-  
rum , circa quos Parocho obser-  
vanda sunt sequentia : *Primò* si  
tales in sua parochia incolas &  
cives inveniat , quos propter pa-  
cem publicam tolerare cogitur ,  
nullam diligentiam & indu-  
strial intermittere debet , eos  
ad gremium S. Matris Ecclesiæ  
reducendi : sunt enim oves illius  
errantes , & Curæ illius concre-  
ditæ , de cuius manibus DEUS  
olim illas repetet , si ex parte suâ  
ali-

aliquid deesse passus fuerit. Media autem convertendi Hæreticos ad fidem sunt Oratio ad DEUM, Missæ Sacrificium, vita Parochi exemplaris, conciones discretæ, conversatio & amica collocutio de rebus fidei, visita-  
tio in infirmitate &c. Quibus ad-  
hibitis si Parochus nihil efficere  
possit, saltem persuadere illis  
conetur, ut liberos suos in fide  
& Religione Catholicâ educari  
permittant. Secundò Si Hæreti-  
cus extraneus petat domicilium  
figere in Parochiâ, etiam pro ali-  
quo solùm tempore, parochus a-  
pud Magistratum, & eos, quorū  
interest, omnem lapidem mo-  
veat, ut intra fines parochiæ non  
admittatur. Præterea etiam in

li-

P  
libros hæreti  
quirere debe  
deprehende  
tare eos de  
tumultu tan  
turbatione.

Tertiū  
& Meretri  
stunt Juven  
chus talem  
suam par  
quantocy  
to etiam,  
culari bra  
filia quæd  
simâ hac i  
rentes m  
sanguinei  
luxuriosi

libros hæreticos & prohibitos inquirere debet , & cum aliquos deprehenderit, modum excogitare eos de medio tollendi, sine tumultu tamen, & pacis publicæ turbatione.

Tertium genus est Luparum & Meretricum , quæ pestes existunt Juventutis ; unde si Parochus tales aliquam irrepsisse in suam parochiam copererit , quantocyùs eam ejciat , invocato etiam , si per se non possit, sæculari brachio. Quod si verò filia quædam Parochialis turpisimâ hac infamiâ laboraret , parentes monendi sunt & Consanguinei , ut super filiam suam luxuriosam firment custodiam ,  
timen-

timentis DEUM Authorem omnis paternitatis , utpote cui olim strictissimam de liberorum suorum educatione rationem sunt reddituri. Si tamen etiam hi negligentes in officio suo fuerint, compelli debent per Magistratum sæcularem.


Vigilandum insuper est circa ludos, quos multis in locis Juventus habet obscenissimos , maximè ubi uterque sexus promiscuè colludit. Similiter circa turpes cantiones , si quæ in usu sint , & alia luxuriæ incitamenta & fomenta, quæ omnia magna cum dexteritate eliminare oportet.

Quar-

Quartum denique genus est vagorum & peregrinorum, qui de loco ad locum migrantes ordinariè vitijs & pessimis moribus sunt addicti. Circa quos proinde Parochus inquirat, num soluti sint, an Conjugati? cuius artis? Religionis? quasve literas habeant vitæ & conversationis suæ testes. Et quando malæ vitæ indicia in eis deprehendit, sine morâ è finibus suæ Parochiæ eos ejciat, ne aliquam morum corruptelam paulatim introducant.

\* \*

\*



§. II. *De*

## §. II.

*De modo corrigendi reliquos peccatores intra parochiam existentes.*

**U**T correctio finem suum sequatur, magnâ prudentiâ & circumspectione opus est: primò enim delicta publica sunt publicè & coram illis, ad quos notitia pervenit, corrigenda, ut scandalum è medio tollatur. Juxta monitum S. Pauli 1. Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habent.* In Concione tamen si hæc correctio fiat, persona non est nominanda. Secundò occulta delicta privatim & occultè etiam sunt corrigenda: ita enim mo-

monet Christus Matth. 18. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Et Sanctus Augustinus Serm. 16. de verb. Apost. Si solus nosti, & vis coram pluribus arguere, non es corrector, sed proditor. Tertio qui peccarunt ex ignorantia & fragilitate, emendari debent cum magna charitate, modestia & lenitate, juxta illud Apostoli Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in Spiritu lenitatis. Plus enim proficit amica correptio, quam accusatio turbulenta, ut inquit S. Ambrosius lib. 8. in Lucam. Econtra vero qui ex malitia peccaverunt, vel

L

in

in peccato suo obstinati perseverant, durè & acriter sunt increpandi, ut monet idem S. Paulus ad Titum 1. *increpa illos durè, ut sani sint.* Qurtò Si conjuges coram Parocho se mutuò accusent, servanda est cautela, quam tradit S. Franciscus Xaverius his verbis : *Noli facilè conjugis alterius de altero querelis credere ; sæpè enim falluntur & fallunt, sed summâ animi æquitate utrumque audies, nec incognitâ causâ condemnabis alterutrum.* Hoc è dico, ut illis ad concordiam, tibi ad suspicionum fugam facilior pateat via. Coram uxore cave culpam conferas in maritum, quamvis haud dubiè penes illum sit culpa. *Omní curâ in id eris intentus, ne*  
( quod

( quod suspiciosissimum negotium est ) uxoris Patronus videaris. Itaque si culpabilis maritus, is amicè ac seorsim monendus est. Hæc ille.

Quintò deniq; observandum est tempus in corrigendo opportunum , & tūm sibi , tūm illi qui corrigen dūs est, congruum. Unde primò corrigi non debet , qui passione aliquā laborat, quia talis correptio finem suum non assequetur. Secundò corrigi etiam non debet , qui in ferve re & iracundiæ motu est constitutus , cum ab iracundo facile excedatur modus & regula Charitatis. *Ira enim viri justitiam DEI non operatur. Jac. i.*



## CAPUT XI.

*De Visitatione Infir-  
rum.*

## §. I.

*De necessitate hujus Visitationis*

**Q**uia hæc functio Parochorum non nihil difficultatis & molestiæ in se habet, multi Parochorum ab ea abhorrent, prætendentes sufficere, si infirmi Sacra menta acceperint, néq; officium Parochiale plus ab illis exigere: Verùm Mercenariorū hæc vox est, non bonorū Pastorum, quos Christus jubet ponere animam pro ovibus suis. *Joan. 10.* Neq; verum est sufficere infirmis

mis Sacra menta accepisse , sed  
insuper requiritur, ut gratiam &  
justitiam per Sacra menta accep-  
tam ad extre mum usq; vitæ Spi-  
ritum conser vent : qui enim per-  
severaverit usq; in finem, hic salvus  
erit. Matth. 24. Ad hanc autem  
perseverantiā s̄epe necessaria est  
assistentia Parochi propter ten-  
tationes & insultus Diaboli , qui  
tunc solent esse gravi ores & peri-  
culosiores , eò quod animus in-  
firmi ad resistendum sit debilior,  
tentator importunior , & lapsus  
irreparabilis. Væ terræ & mari ,  
(exclamat S. Joannes Apoc. 12.)  
quia descendit Diabolus ad vos ha-  
bens iram magnam , sciens , quod  
modicum tempus habeat : Neque  
enim dubium esse potest, quin

L 3 Dia-

Diabolus in illo agone conatus ,  
fraudes & insidias exerat , ut hoc  
breve tempus , quod animæ ad  
vitam superest , in rem suam be-  
nè iimpendat : Sicut videlicet  
hostis in obsidione urbis extre-  
ma quæq; tentat , quando tem-  
pus hybernum , in quo obsidio-  
nem solvere cogitur , appropin-  
quare advertit . Quapropter  
quantò major tunc est hostis In-  
fernalis conatus ad infirmum  
oppugnandum , tantò major de-  
bet esse Parochi industria , soli-  
citudo & vigilantia ad resisten-  
dum , cùm ex hoc momento  
pendere soleat morientis æterni-  
tas . Quid enim juvat naviculam  
multo labore ad portum usque  
perduxisse , si eam tunc naufra-  
gari ,

gari, & interire nauta permittat ? aut quis Parocho fructus ex omni labore suo , quem impendit in erudiendo , admonendo , & dirigendo peccatore , si eum in fine deserat, & ovem, quam tanta cura educavit , lupo infernali in prædam relinquat ? *Videte vosmetipso*s , ne perdatis , quæ operati estis , sed ut mercedem plenam accipiatis . 2. Joan. v. 8. Et quidem licet tale per periculum non semper sub esse soleat , utilis nihilominus & valde proficua erit infirmo ejusmodi parochi ad extremam usque luctam assistentia , ut scilicet ipso dirigente & adjuvante varios virtutum actus eliciat , per quos pro pœnis temporalibus in altera vita persol-

vendis satisfaciat : neque enim  
minus beneficium erit aliquem  
ab igne Purgatorij præservare ,  
quam per preces & Suffragia ibi-  
dem detentum liberare.

---

### §. II.

*De his , quæ Parocho observanda  
sunt inter accedendum ad in-  
firmum.*

**U**T visitatio Infirmi cum fru-  
ctu succedat , duo potissi-  
mum observanda sunt Parocho.  
Primum est , ut conetur prius in  
se excitare ardentissimum ze-  
lum & desiderium succurrendi  
animæ ad distriictum DEI judi-  
cium , & ad domum æternitatis  
suæ jam jam properanti: qui ze-  
lus

Ius suscitari poterit , si Parochus consideret , Primò , quantam hæc Visitatio consolationem adferre possit infirmo , dum in extrema illa necessitate videt se habere amicum verè fidelem , qui afflictum & dejectum erigat , dubitantि consulat , & ad felicem æternitatem dirigat . Secundò , quod omnis labor , cura & solicitude , quam haðenus istius hominis causâ suscepit , irrita omnino & sine fructu efficiatur , si ille vitæ suæ cursum infelicitate & in statu mortali finiat . Tertiò , quod omnis fructus Passionis , Sanguinis & mortis Christi respectu talis hominis pendeat ex unico hoc vitæ momento . Quartò quod hic idē In-

L 5

fir-

firm⁹ sit olim futurus ex numero illorum, à quibus in Judicio propter negligentiam suam sit accusandus. Alterum quod Parochus observare debet , dum Infirnum accedit , est , ut conetur eum sibi reddere benevolum , offerendo ei sua obsequia, significando suam erga ipsum benevolentiam & Charitatem, atque intermittendo , quidquid ipsum offendere & alienare potest. Unde mortem ipse infirmo facile non denunciet , nec sermo institutus longior sit vel clamosus , sed pauca quædam & selecta proponantur eaque suavitate aliquâ condiantur. Neque statim differendum de morte , vel Sacramentis , sed à rebus in-

dif-

differentibus discursum Parochus ordiatur, puta à morbi constitutione, miserijs hujus vitæ, domesticorum solicitudine, &c. Atque sic paulatim quasi insensibiliter eum transferat ad res Spirituales, ita ut non coactus videatur & violentus, sed naturalis.

## §. III.

*De his, quæ Parochus potissimum urgere debet apud Infirmum.*


**P**Rimum est, ut dimissis omnibus rerum temporalium curis solum cogitet de salute animæ suæ; Unde & domestici monendi sunt, ut si forte aliquid domi rurive agendum occur-

L 6. rat,

rat, infirmum propterea non inquietent, sed ipsi inter se, quod optimum factu videbitur, consultent. Secundum est, ut Infirmitus se imprimis exerceat in actibus perfectæ Contritionis, Amoris DEI super omnia, resignationis in Divinam voluntatem, Fidei, Spei, Gratitudinis, Patientiæ, &c. in quibus omnibus juvari & dirigi debet à Parrocho per certas formulas ex approbatis Authoribus selectas & excerptas. Tertium est, ut, si Testamentum fieri debeat, Parochus infirmum urgeat ad disponendum domi suæ, ipse tamen nec Testis sit, nec Notarius, (nisi modus testandi secundum SS. Canones alicubi, sicut

sicut in Diœcesi Bambergensi,  
receptus sit ) multòminus sua-  
deat, quid huic vel illi in Testa-  
mento legandum , ne innume-  
ris se tricis implicit , & aliquo-  
rum odium sine necessitate in-  
currat. Præterea explorabit e-  
tiam apud domesticos , quæ sit  
infirmi dispositio & animi con-  
stitutio , num videlicet non sit  
pusillanimis , salutis suæ negli-  
gens , præsumptuosus , justo a-  
mantior vitæ suæ , bonis tem-  
poralibus addictus , solicitus de  
liberis suis post se relinquen-  
dis, &c. Ut hac ratione illius  
tentationibus obviare, & media  
convenientia adhiberi  
possit.

CA-



## CAPUT XII.

*De Scholis Trivialibus.*

**Q**uanti intersit Christianæ Reipublicæ , & ipsius Juventutis, ut hæc à teneris annis in fide & bonis moribus eruditatur , testatur præter quotidiam experientiam tot Sanctorum virorum studium & labor , quem hac in parte collocârunt. Bonum est enim Viro , cum portaverit jugum ab adolescentiâ suâ. Thren. 3. Et adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit , non recedet ab eâ. Proverb. 22. Præter Catecheticam autem instructionem , de quâ suprâ diximus,

PARS

mus, non ali portuna er occasio, quæ hinc in & villis pa rectæ , ita gentem ea voluerit , b morum fa chiam cum re possit. Co potissimum Primò pro cho, ut no sse Paroch pagis filiali Triviales nondum f gisti idon ciente doc

mus, non alia se offert magis op-  
portuna erudiendæ juventutis  
occasio, quām Scholæ Triviales,  
quæ hinc indè in oppidis, pagis  
& villis passim inveniuntur e-  
rectæ , ita ut , si Parochus dili-  
gentem earum curam habere  
voluerit , haud difficulter aliam  
morum faciem in suam Paro-  
chiam cum tempore introduce-  
re possit. Consistit verò hæc Cura  
potissimum in sequentibus :  
*Primò* providendum est Paro-  
cho, ut non solum in loco Eccle-  
siæ Parochialis , verùm etiam in  
pagis filialibus ejusmodi Scholæ  
Triviales ergantur , si haec tenus  
nondum fuerint erectæ ; & Ma-  
gистri idonei , qui videlicet suffi-  
ciente doctrinâ & morum pro-  
bi-

bitate sunt prædicti, eisdem præficiantur. Secundò instandum est apud Parentes, hiquè obsecrandi, arguendi, & increpandi cum omni dexteritate & discretione, ut liberos suos ad dictas Scholas missitare, eamque gratiam præstare illis velint, quam sibi olim in juventute à parentibus suis præstitam esse jam sæpiùs exoptarunt. Tertiò in Scholis pueri à puellis separandi, ita ut, si forte distincta conclavia non haberant, saltem terga sibi obvertant, & nec familiariùs inter se agere, nec oculos in se mutuò conjiceret possint. Quartò, certus exercitiorum ordo præscribendus est, ita quidem ut antè initium & post finem Scholarum à juven-


ventute semper recitentur cæ  
preces, quas manè & vesperi, an-  
tè & post mensam, ad sonitum  
horæ & ante labores ex Chri-  
stianâ consuetudine dici oportet,  
ut sic paulatim mentem sæ-  
piùs per diem elevare ad DEUM,  
& operibus suis sanctam inten-  
tionem præfigere omnes addi-  
scant. Quintò, præter quoti-  
diana exercitia instruendi etiam  
sunt liberi in primis fidei Catho-  
licæ rudimentis, moribus Chri-  
stiano homine dignis, & Sacris  
**Canticis**, quibus se olim in-  
ter laborandum solari & ad pie-  
tatem excitare valeant, nec  
non in Ecclesiâ & Processioni-  
bus cum alijs DEUM laudare.  
Sextò denique Scholæ sæpijls,

&amp;


& ad minimum semel in qualibet hebdomade visitandæ sunt à Parocho , tūm ut Ludirector in officio suo contineatur , tūm etiam, ut , si quæ corrigenda occurrant , mature emendari possint. Caveat tamen Parochus, ne frequentando Scholas per nimiam cum Ludimastro vel domesticis ejus familiaritatem fortassis auctoritatem suam vel famam prostituat : plurimum enim ejusmodi familiaritas obesse solet bono communi, & ipsi etiam Parocho. Sunt ex Ludimistris , qui singulos Parochi errores & defectus , quos inter familiarem conversationem notant , in certum quendam libellum fideliter referunt , eo scilicet

cet fine , ut si fortè propter suam  
inscitiam , vel scandalosam vi-  
tam à Parocho deferendi & ab-  
rogandi essent , ipsum per ob-  
jectionem commissorum defe-  
ctuum à deferendo absterreant.  
**U**nde postea accidit, ut imperiti  
& scandalosi ejusmodi homines  
in officio suo tolerari & foveri  
à Parocho debeant , non sine  
magno Reipublicæ & juventutis  
detrimento. Meminerit itaq; Pa-  
rochus non incongruè accom-  
modari posse ludirectoribus il-

lud Matthæi 10. *Inimici ho-  
minis domestici  
eius.*



C A -



## CAPUT XIII.

*De Processionibus.*

Fructus qui ex Processionibus & peregrinationibus ad loca pia sequi potest , præcipue triplex est : Primò cedunt in gloriam DEI , & Sanctorum suorum honorem. Secundò opus sunt pœnale & laboriosum , ad eoque pro peccatis & pœni temporalibus satisfactorium. Tertiò frequenter in illis per intercessionem Sanctorum certa à DEO beneficia impetramus , & DEI flagella à Patria , domibus , ac cervicibus nostris avertimus , quomodo avertisse legimus sanctum

Etum Greg  
tos fructu  
certius con  
vanda sun  
alia in Eccl  
fiones ordi  
que in rede  
dem in itin  
Parocho in  
talis, ut in  
te post Cr  
innocentes  
ribus adhu  
tamen & p  
propter viti  
centiam d  
& à Proph  
reliquis ad  
convocant  
cale jejuniu

ctum Gregorium. Ut verò di-  
ctos fructus ex Processionibus  
certius consequamur , obser-  
vanda sunt aliqua in itinere ,  
alia in Ecclesiâ ad quam Proces-  
siones ordinantur , alia deni-  
que in redeundo. Et primò qui-  
dem in itinere instituendus est à  
Parocho inter Personas Ordo-  
talis , ut in primâ acie immedia-  
tè post Crucifixum parvuli &  
innocentes , milites quidem vi-  
ribus adhuc imbecilles , validi  
tamen & potentes apud DEUM  
propter vitæ puritatem & Inno-  
centiam deprecatores : Unde  
& à Propheta Joële *cap. 2.* cum  
reliquis ad placandum DEI iram  
convocantur , cum ait : *Sanctifi-*  
*cate jejunium , vocate cœtum , con-*  
*gre-*

gregate populum , sanctificate Ecclesiam , coadunate senes , congregate parvulos , & fugentes ubera . Post illos sequatur Parochus , medius inter adultos & pusillos , velut Aaron quidam inter vivos & mortuos , hoc est inter innocentes & peccatores & quasi victimæ quædam onerata proprijs & populi delictis cum Ecclesia ingeminet illa Prophetæ verba : *Parce Domine , parce populo tuo , & ne des hæreditatem tuam in opprobrium , Miserere populo tuo , quem redemisti Sanguine tuo , &c.* Parochum subsequantur adulti pulchro ordine bini ac bini incidentes , confitentes se peccatores , & cum alio Prophetâ clamantes : *Peccavimus , iniquitatem*

tem fecimus, impiè egimus, & re-  
cessimus à mandatis tuis. Daniel. 9.  
Postremo loco incedat devotus  
fœmineus sexus, servans eun-  
dem quem Viri ordinem, & si-  
mul cum illis misericordiam  
à DEO efflagitans. Ordine Pro-  
cessionis sic constituto Parochus  
præterea in id incumbat, ut om-  
nes ac singuli in Spiritu veræ  
humilitatis & pœnitentiæ pro-  
cedant, externam corporis mo-  
destiam & gravitatem ad alio-  
rum ædificationem præferentes,  
in via à risu, confabulatione, &  
curiosâ oculorum evagatione  
abstineant, & nunc cantando,  
nunc etiam orando tempus fal-  
lant; ne forte ipsi in vana col-  
loquia dilapsis peregrinatio fiat  
in

in peccatum. Porrò in ipso loco vel Ecclesia , ad quam Proces-  
sio fuit instituta , videat Parochus ut omnes sacrificio Missæ  
& verbi divini prædicationi de-  
votè intersint ; neque sub divi-  
no officio pro negotiorum suo-  
rum executione hoc illucque  
discurrant , aut ( quod non in-  
fitequens est ) in cauponâ co-  
messationibus vacent. Denique  
in reditu servanda est eadem in  
incessu modestia , & inter oran-  
dum sive psallendum devotio ,  
sicut in accessu. Ipse Parochus  
quoque tanquam bonus Pastor  
in ordine cum Ovibus suis redi-  
re non intermittat , ne qua forte  
ex absentia illius confusio in iti-  
nere oriatur , & loco Orationis  
vel

vel cantus detractionia aut saltem  
vana ab aliquibus colloquia mi-  
sceantur : Neque enim appro-  
bandus videtur eorum Parochio-  
rum mos & consuetudo , qui di-  
misso cum Cruce & vexillis po-  
pulo ipsi in loco peregrinationis  
remanent cum amicis ibidem  
pransuri.



## CAPUT XIV.

### *De Conversatione.*

#### §. I.

*De Qualitatibus, quas Conversatio  
Parochi habere debet.*

PRæter ea , quæ suprà diximus  
de fugâ Conversationis sæ-  
cularis, addendum hic est, quod

M

Con-

Conversatio Parochi debeat esse  
*Rara*, ne familiaritas contemp-  
tum pariat; *Brevis*, ne in sæcula-  
rem degeneret; *Casta*, & ab om-  
ni loquendi modo, qui speciem  
alicujus impuri affectūs præferre  
possit, quām longissimè remota;  
*Gravis*, quæ sæculares jocos, ver-  
ba ridicula & nugatoria non  
contineat; *Suavis*, & sine ver-  
borum aculeis, convitijs & con-  
tentioñibus: *Servum enim Do-*  
*mini non oportet litigare, sed man-*  
*suetum esse ad omnes.* 2. *Timoth.* 2.  
In primis vero advertendum est  
Parocco, quibus cum converse-  
tur: Sunt enim duo hominum  
genera, quæ à suâ conversatione  
arcere debet: Primum est fæmi-  
narum extranearum, cum hisce  
enim

enim non nisi in casu necessitatis inevitabilis loquendū est brevissimè, & quidem in loco publico, in præsentia alicujus honesti viri, ut Parochi famæ hoc modo consulatur. Alterum genus est eorum virorum, qui apud probos malæ famæ sunt, juxta illud S. Hieronymi ad Nepot. *Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris.*

---

§. II.

*De Modo conversandi cum Præfectis locorum.*

**C**um Parocho sæpissimè opus sit brachio sæculari ad coercendos Dyscolos, ita cum Præfectis locorum & Magistratibus

conversari studebit, ut eorum animos nunquam non propensos sibi habeat & addictos, juxta illud monitum S. Francisci Xaverij; *Oppidorum Praefectis dicto audiens eris, obsequioque omni, quoad ejus fieri potest, familiaritate devincies eorum animos; neque ullam de causâ quamvis justâ in eorum offensionem atque odium incurres.* Et Eccli. 38. *Honora Medicum propter necessitatem.* Potest verò hæc cum locorum Praefectis amicitia & propensio acquiri & conservari. Primò si Parochus quantum Status illius ratio permittit, coram illis se nonnihil humiliet, & dictis factisque fidem faciat, nihil sibi esse potius, quam illis in omnibus gratificari. Secundò

cundò si in absentiâ valdè hono-  
rifícè de illis loquatur , disposi-  
tiones eorum commendet , pru-  
dentiam extollat , & coram de-  
trahentibus illos meliori , quo  
potest , modo defendat & excu-  
set . Tertiò si , quam primùm ali-  
quam animi alienationem in il-  
lis advertit , eos in mansuetudi-  
ne conveniat , suam innocen-  
tiā ostendat simulque roget ,  
ut malevolorum relationibus fi-  
dem tam facile præbere non ve-  
lint , per magni siquidem refert ,  
ut aversiones animorum mature  
tollantur , priusquam radices  
agant , si enim semel firmiter ra-  
dicatæ fuerint , nullus dissidio-  
rum & diffidentiæ

erit

F I N I S.



## INDEX.

### Theologiæ Pastoralis.

## PARS I.

### *De Origine, Officio, & dignitate Parochi.*

- Cap. I. *De Nominе Parochi.* pag. 1.  
Cap. II. *De Origine Parochorū.* 4.  
Cap. III. *De Dignitate & præcel-  
lentia Statūs Parochialis.* 7.  
Cap. IV. *De Merito & præmio Sta-  
tūs Paroch.* 12.  
Cap. V. *De Officio Parochorum.* 16.  
Cap. VI. *De Fine & Spiritu pro-  
prio ac peculiari Statui Paro-  
chiali.* 19.  
Cap. VII. *De bono, quod probi Pa-  
rochi*



rochi præstant Reipublicæ Chri-  
stianæ.

23.

## PARS II.

*De his , quæ Parochum  
perficiunt in Ordine ad se  
ipsum.*

Cap. I. *De Necessitate, quam habet  
Parochus propriam Salutem cu-  
randi.* pag. 27.

Cap. II. *De Timore D E I.* 30.

Cap. III. *De Humilitate.* 35.

Cap. IV. *De Mortificatione.* 39.

Cap. V. *De Tentationibus.* 45.

Cap. VI. *De Modestia.* 53.

Cap. VII. *De Castitate.* 58.

Cap. VIII. *De Obedientia.* 66.

Cap. IX. *De Temperantia.* 73.

Cap. X. *De Liberalitate.* 80.

) ( 4

Cap. XI.



Cap. XI. De Fuga Otij.	87.
Cap. XII. De Fuga Familiaritatis Laicorum.	91.
Cap. XIII. De Meditatione.	95.
Cap. XIV. De Examine Conscien- tiae.	103.
Cap. XV. De Exercitijs Spiritua- bus.	108.
Cap. XVI. De Celebrazione quoti- diana & Confessione Sacra- mentali.	114.

### PARS III.

*De his , quæ Parochum  
perficiunt in ordine ad  
DEUM.*

Cap. I. *De functionibus Ecclesiasti-  
cis accurate & exactè Parocho  
obeundis.* 122.

Cap. II.

Cap. II. D  
te anim  
creā PA  
Cap. III.  
etionib  
da.

De his  
perficiū

Cap. I. L  
bemus  
mi.

Cap. II. I  
fation

Cap. III.

Cap. IV.

Cap. V.



- Cap. II. De Sanctitate & Puritate animi, cum qua functiones sacrae à Parocho sunt obcundæ. 127.  
Cap. III. De intentione sacris functionibus à Parocho præfigenda. 131.

## PARS IV.

*De his, quæ Parochum perficiunt in ordine ad proximum.*

- Cap. I. De necessitate, quam habemus, curandi salutem proximi. 137.  
Cap. II. De Exemplo bonæ Conversationis. 142.  
Cap. III. De Oratione. 147.  
Cap. IV. De Zelo animarum. 151.  
Cap. V. De Studijs Literarū. 157.  
Cap. VI.



Cap. VI. De Prudentia Parochi.

162.

Cap. VII. De Prædicatione Verbi  
Domini. 167.

§. I. De obligatione ad prædican-  
dum, & fine prædicatio-  
nis. ibid.

§. II. De Partibus essentialibus  
Concionis. 170.

§. III. De Partibus integranti-  
bus Concionis. 176.

§. IV. De argumentorum qua-  
litate & ordine. 179.

§. V. De Pronuntiatione, & re-  
liquis ad Concionem spectan-  
tibus. 183.

§. VI. De modo tradendi Do-  
ctrinam Christianā pro Con-  
cione. 189.

CON-



# CONCEPTUS CA- TECHETICI.

DE FIDE.	191.
DE VERITATE SPEI.	194.
DE CHARITATE.	195.
DE SACRAMENTIS.	199.
DE JUSTITIA CHRISTIANA.	
	201.

Cap. VIII. De Catechesi.	206.
§, I. De Materia & Forma Ca- techesis.	ibid.
§, II. Quinam Catechizandi, & quo loco ac Tempore.	210.
§, III. De Ordine & divisione locorum in Catechesi.	214.
§, IV. De Modo explicandi Ca- techismum, & Juventutem examinandi.	216.
	§. V.

CON.



§. V. De Ordine, quo Lectio Ca-  
techetica tractanda. 220.

Cap. IX. De Administratione Sa-  
cramentorum. 223.

§. I. De his, quæ Parochum re-  
motè disponunt ad dignam  
Sacramentorum administrationem.  
ibid.

§. II. De his quæ Parochum pro-  
ximè disponunt ad Sacra-  
mentorum administrationē. 226.

§. III. De his, quæ Parocho sunt  
observanda, dum actū Sacra-  
menta administrat. 230.

Cap. X. De cura Ovium scabiosar-  
um. 233.

§. I. De Peccatoribus magis no-  
xijs Christianæ Reipublicæ. ib.

§. II. De modo corrigendi reli-  
quos peccatores intra Paro-  
chiam

dia  
Cap. XI.  
rum  
§. I. D  
tatio  
§. II. D  
van  
dum  
§. III. I  
tiffin  
infir  
Cap. XII  
bus.  
Cap. XIII  
Cap. XIV  
§. I. De  
ver  
bet.  
§. II. I  
Pra



- chiam existentes. 240.
- Cap. XI. De Visitatione Infirmorum.** 244.
- §. I. *De necessitate hujus Visitationis.* ibid.
- §. II. *De his, quæ Parocho observanda sunt inter accedendum ad infirmum.* 248.
- §. III. *De his, quæ Parochus potissimum urgere debet apud infirmum.* 251.
- Cap. XII. De Scholis Trivialibus.** 254.
- Cap. XIII. De Processionibus.** 260.
- Cap. XIV. De Conversatione.** 265.
- §. I. *De Qualitatibus, quas conversatione Parochi habere debet.* 265.
- §. II. *De modo conversandi cum Praefectis locorum.* 267.

F I N I S.

IN NOMEN AUTHORIS  
**HERLET**

*A N A G A M M A*  
*Λ Ε Η Ρ Ε Ζ*

*E P I G R A M M A.*

Diceris esse DOCENS : probat id tua lin-  
gua manūsqne ,

Tum benē lingua DOCET , Cūm neq,  
vita NOCET.

DOCTOREM loquitur tua lingua &  
vita perennem :

Cum tua lingua TACET , jam tua vita  
DOCET.

*Accinebat amoris & observantia*  
*ergo.*

JULIUS GODEFRIDUS GOTZ ,  
Celsif. & Rever. Principis Nostri  
in Sem. ad S. Kilianum , Alum-  
nus.

*Cliens*



## *Cliens Authoris ad Lectorem.*

UNDe petis veniant, hæc autumnalia  
nobis  
Fercula, mi Lector, tam rari poma  
decoris?  
Arbor in auratis, tot turgens pendula  
pomis?  
A radice bonâ succrescunt illa poma;  
Quæ mentem solidant, quæ cor pietate  
decorant,  
Gustum lætificant, virtutum germina  
spargunt.  
En, quæ fit radix: est illa GEORGIUS  
HERLET;  
Carmine non opus est; Nomen satis in-  
dicat Omen,  
Paucis transpositis, procedit *Lehret* ab  
Herlet.  
Dicitur ergo docens; Sicque est: docet  
ore manuque,  
Et si lingua tacet, non ejus vita tacebit.

Hunc

......

Hunc legit o librum, nosces ex ungue  
Leonem;  
Quantum mellescat, virtutes undique  
Spargens  
Et Curatorem paucis concinnet ad un-  
guem,  
Gustato fructu, disces hæc quanta sit  
arbor.

*Omnia ad Majorem  
DEI Gloriam.*




nosces ex ungu  
virtutes undique  
is concinnet ad un-  
des hac quanta sit

*Majorem  
Gloriam.*








## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue

## TIFFEN® Gray Scale



© The Tiffen Company, 2007



